

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/specimengeograph00hoff

SPECIMEN GEOGRAPHICO-MEDICUM INAUGURALE

DE

HISPANIA

ET

21. A. 23.
No. 21. A. 23.
BOSTON
MEDICAL LIBRARY
ASSOCIATION,
19 BOYLSTON PLACE,
Received June 11, 1884.
By ~~Gift of~~ Exchange

SPECIMEN GEOGRAPHICO-MEDICUM INAUGURALE

DE

HISPANIA

ET

INSULIS QUIBUSDAM MARIS MEDITERRANEI.

SPECIMEN GEOGRAPHICO-MEDICUM INAUGURALE

DE

HISPANIA

ET

INSULIS QUIBUSDAM MARIS MEDITERRANEI,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HOFMANNI PEERLKAMP.

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.,

TUM

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JOHANNES FREDERICUS HOFFMANN,

GOUDANUS.

AD DIEM XXVIII APRILIS MDCCCXXXVIII, HORA I—II.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD S. ET J. LUCHTMANS,

ACAD. TYPOGRAPHOS.

MDCCCXXXVIII.



Added by exch.
June 11. 1884.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

PATRI ATQUE PATRUO

Sacrum.

If the following work had received all the improvement of which it is susceptible, and, through means of much more time and study than have been bestowed on it, had attained a degree of value and interest proportionate to the great importance of the subjects of which it treats..... in its present imperfect condition I can only.....

JAMES CLARK,

Medical notes etc. *Dedication.*

PRAEMONENDA.

Solet unusquisque doctrinae comparandae cupidus, peregre profecturus ad terrae regiones remotas et a patria sua longe distantes, praeter diplomata, literis se munire commendaticiis, quae aditum ipsi faciliorem reddant ad viros artium ac disciplinarum studio clarissimos, qui communi doctrinae vinculo et quasi cognatione quadam peregrinanti conjunctos se sentiunt. Qui mos ab omnibus jam fere receptus, hospitii juri, veterum scriptis celebrato, successit. Per has litteras in cognationis, convictus, ac familiaritatis foedus, inter illum qui literas dat, et illum qui accipit, is quoque, qui eas perfert, recipitur. Hicce tum amici absentis personam quodammodo fert. Quamvis RUDOLPHII sententia haud procul a vero abesse videatur, tales scilicet literas prorsus inutiles judicantis, nulli futuras usui illi, qui se ipse commendare nescit; quibusque contra facile carebit is, qui eruditionis ingeniique praestantiâ prae ceteris excellit, multis tamen eorum, qui celebratae sententiae memores »medio tutissimus ibis" propter modestiam suis viribus diffidunt, saepius valde profuisse literas

commendaticias constat. Liber quoque ejusmodi commendatione indiget, est enim quasi auctoris ingenium immensum iter suscepturum. Solent igitur omnes fere auctores quaedam praefari atque praemonere; sunt qui in magna librorum copia in eodem argumento versantium, nullum idoneum inveniunt et ipsi huic incommodo mederi cum tentaverint, eheu, quoties soli se scopum attigisse laetantur; alius ab amicis discipulisve rogatus diutius eorum precibus reluctari noluit. Verbo alii alias adferunt causas, vera omissa, et multifaria ratiocinatione legentis favorem sibi conciliare student, hic tamen nihili haec omnia facit, omissaque saepius praefatione ipsum librum adit. Dissertationis contra inauguralis plurimi statim titulum inspiciunt, ut horam, qua actus solemnis celebrandus sit, sciant, tum obiter oculis perstringunt, quae in introitu praefatio, quae in calce adnexa sint poëmata, neque ulterius quidquam opusculum curant.

Et sane uti multae sunt regiones per quas iter ne cogitari quidem potest sine alicujus diplomatis tutela, sic etiam varia sunt scriptorum genera, quae nullo modo in lucem edi possunt, nisi oratione quadam ornata commendaticia, qua sibi legentium animum devinciant. Cujusmodi praesidio varium dissertationum inauguralium genus quam maxime indiget; quam male enim mulcantur, quae nullo tegmine tutae, sed nudae atque inermes, ex brevissimo in Musarum sede itinere redeuntes, placidum ac quietum asylum inveniunt:

> ..... in vicum vendentem thus et odores
> Et piper et quidquid chartis amicitur ineptis.

Haecce praesertim qualiscunque dissertatio nisi prologo instructa, navi haud dissimilis esset, qua nauarchus, velis ac gubernaculo destitutus, remotas regiones peteret. In prologo enim quaedam dicenda sunt de ipso argumento et de laboris difficultate, nec tamen ad illorum exemplum, qui operis molestiam coelo tenus tollentes, in eadem superanda sibi laudem aucupantur. Est forte qui statim mihi objiciat et roget, quae demum me dementia ceperit in remotas inquirere regiones, cum de patria tanta ad hoc usque tempus neglecta lateant; quid, quaeso, juvabit in praxi medica scientia morborum regionum Europae meridionalium? Cui respondebo idem hîc valere quod in disciplinarum naturalium scientia, quarum studium mancum admodum ac insulsum foret, si quisque, cognitione naturae proxime circumdantis contentus, remotiora negligeret. At quaeret idem (ut revera saepius mihi contigit), cur illa prae ceteris eligenda putaverim, quae mihi testi tantum aurito cognita esse debeant, quod vitium negari nequit in medicinae studio gravius esse quam in opere ceteris rebus naturalibus impenso, cum varia, quae diversae proferunt regiones seu viva, seu apte servata, harum rerum studiosus sibi comparare posset, dum contra morborum, quamvis eodem nomine insignitorum, haud raro natura in variis regionibus valde dissimilis est, et rarius accidere debet, ut longinquae regionis incola morbi peculiaris endemii exemplum exhibeat. Longum foret enucleate exponere, quibus tandem rationibus et cogitationibus ad hanc materiam delapsus sim, est enim ingenio humano proprium quod mens cogitationum imaginumque

ri volubili ab alio in aliud jactatur argumentum. Hoc unum indicare sufficiat ipsam hanc dissertationem longioris itineris quasi prodromum esse et praeparationem. A teneris enim incessit me ingens peregrinas regiones adeundi cupido, cui satisfacere tandem continget. Hocce autem opusculum specimen tantum haberi velim, quia absolutum quid numquam ex aliorum operibus colligi potest, propria ad hoc auctoris opus est observatione, ut ex iis, quae in ipsis locis investigantur, dum bona fide utatur scriptor, veritas luculentius prodeat. Juvenis vero non datur in tanta rerum copia veras facere observationes, nec aliorum licet ex tripode rejicere, tum quia eodem jure alii nostras etiam rejicerent, tum quod unius non est varias, ad medicinam topographicam diversarum regionum pertinentes, inquisitiones ipsum per se instituere, id quod vitae humanae prohibet brevitas. Si nec voluntas nec opportunitas desit totam vitam huic negotio tribuendi, multo brevius sit vitae spatium, quam ut unus haec omnia perficiat. Plurimi vires suas in idem conferre debent, ut singulae eorum observationes communi tandem vinculo eoque arctissimo conjungantur. Ut in doctrinis naturalibus opus est tum peregrinantibus, aliis metentibus et colligentibus, messoribus quasi qui messem in aliorum horrea invehant, philosophis aliis qui ipsi arva simul colentes laborum suorum mercede fruuntur, tum sedentariis qui omnibus adminiculis instructi, congeriem indigestamque molem ordine disponant atque redigant, quam priores comparaverant, sic etiam in medicina topographica aliorum est in longinquis regionibus, in

coeli solique naturam inquirere, quidque terra producat, tum in incolarum victum ac diaetam, in morbos ac curandi methodum; aliorum est observata in ordinem redigere, regiones descriptas inter se comparare, ut sic demum geographica morborum distributio et ejusdem morbi in variis regionibus variae formae cognoscantur. Ut porro umbratici, numquam bibliothecae limites egressi, vix ac ne vix quidem rectam sibi rerum imaginem fingere possunt, et naturae studium ipsius naturae observatione nititur, haud melius proficient scientiaeque fines promovebunt alii, qui sola experientia edocti, absque ulla rerum observandarum studio ad investigandum accedunt. Nam vel perperam observabunt, vel si forte fortuna veriora illis videre contigerit, primum ac praecipuum illud omittent, cujus ope demum dignoscamus, utrum illa quae proponant vera sint fideque digna; ejusmodi homines relatas res quid valeant non rite dijudicabunt, vel etiam vera a falsis et ficticiis non discernere valebunt. Quod quidem ut vitetur, quemque iter suscepturum studiose in aliorum inquirere observata oportet, antequam viribus suis relictus, ipse rerum naturam indagare incipiat; praeterea vir doctus antequam aliorum collectanea in ordinem redigere aggrediatur, ipse quaedam instituat itinera, necesse est. En igitur causam cur tale dissertationis inauguralis argumentum eligendum putaverim, in quo scilicet elaborando, antequam ipse regiones adeam, in illarum naturam inquirendi opportunitas esset.

Jam paucis dicamus quo factum sit, ut e medicis topographicis hoc prae ceteris sumserim argumentum.

Primum coeli, regionis et eorum quae terra profert ut et morborum endemiorum naturam inter se comparandi mens fuit; quod vero simulac argumenti gravitatem et difficultatem rite perspexeram, mox relinquendum statui. Quot enim disciplinae ad has res juste pertractandas sua conferre deberent; quaecumque de aëre coelique tempestate agunt, quaecunque docent quo modo solum cujusdam regionis naturâ comparatum sit, quosque proferat fructus. Si de disciplinis naturalibus loquamur, quo altius in rerum naturam penetrat indagationis consilium, eo pluribus opus est doctrinis adjutricibus. Ipse homo, ut omnis cognitionis auctor, ita ultimus finis est, quo conferatur, quod per labentia saecula expertum est; ad se ipsum, ad illud *Γνῶθι σεαυτὸν* potissimum omnis scientia tendere debet. Medicina topographica ut rite excolatur, non solum multis opus est disciplinis uti climatologia, meteorologiae, geologiae, botaniae, zoologiae, anthropologiae, sed earumdem ut ita dicam summariis. Ut exemplo hoc illustrem, in cujusdam regionis descriptione medico-topographica non requiruntur tabulae, in quibus singulorum dierum tempestas ac caloris gradus notati inveniuntur, nec ubi diversa cujusdam formationis strata enumerentur, haud magis plantarum ac animalium catalogum specialem desideramus, sed ex tabulis meteorologicis totius anni facies delineatur, quae per longam annorum seriem inter se comparatae indolem climatologicam regionis nobis exhibeant. In structura geologica attendendum ad ipsas formationes; in descriptione physica ad montes, lacus, majora

flumina, maris viciniam; in plantis et animalibus ad ordinum ratam distributionem; ad ipsum hominem tandem venientes videndum est, quali victu, quo vitae genere utatur, qua arte victum quaerat, quaenam sint dotes tum animi, tum corporis, quibus potissimum morbis obnoxius, quorum recensio summarium esse debet tabularum statisticarum (1). Inter diversa quae inde sequuntur ratio esse debet, quae in quibusdam jamdudum reperta, in multis ad hoc usque tempus obscura mansit. Hinc demum summa cura ac religiose colligere licet, qui nexus sit atque vinculum inter regionis naturam et morbos quibus affligatur; hinc systematica morborum distributio geographica cognosci posset; sed, eheu, quam ardua et aspera via est, quam inmenso intervallo ab hoc fastigio distamus, quot sunt regiones quarum nullam hucusque habemus descriptionem, quot de quibus falsa ac erronea a prima antiquitate circumferuntur, quam paucae, vel in hac nostra Europa, quae prae ceteris terrarum partibus cognita est, regiones quibus ejusmodi descriptio contigit. Neque totus hujus scientiae ambitus ita excultus est, ut dari posset, quod tamen verisimiliter propediem futurum est, si quidem doctrinarum studium et humani generis cultura eodem tenore progredi pergat ut per quinquaginta, vel potius per viginti hos et quod excedit annos pro-

(1) De methodo qua topographiae medicae conscribendae sint cf. merentur quae FINKE et HENNEN in operibus infra laudandis praefati sunt, et: FR. X. MEZLER's Versuch eines Leitfadens zur Abfassung zweckmäss. med. Topographien. mit 3 Kupf. Freyburg u. Constanz, 1814. 8°.

cessisse videmus. Si enim in disciplinis naturalibus, quae tantopere excultae sunt, ut proposito argumento quodammodo sufficere videantur, (geologia v. c., botania, zoologia), antiquiora tempora respiciamus, quam inmensum intervallum, quantus hiatus ab hoc ad quod hodie attigerint dignitatis gradum. Systemata, quae vocantur naturalia, vulgo horum progressuum causae habentur, et quidem veteribus prorsus incognita a recentioribus inventa, sed nullo jure; sunt enim progressuum effectus necessarii, quorum veteres jam antiquissimis temporibus posuere fundamenta, quae recte comparantur cum illis mentis cogitationibus, quas empirici horticultores, venatores, piscatores de rebus naturalibus sibi fingunt. Hinc etiam, ut exemplum e botanicis petamus, nihil ineptius est, quam nonnullorum in LINNAEI systema artificiale ira atque furor, quo summi viri laudes detrectare ausi sunt quidam nasuti; est velut ridicula pygmaei superbia gigantis humeris insistentis. Ipse LINNAEUS de systemate naturali monuit »primum et ultimum hoc in botanicis est desideratum" et ipse dispositionem naturalem aggressus est.

Hujus systematis naturalis ope paucis florae ac faunae summam exponere possumus, quae necessario cum regionis natura arcte convenire debet. Ne quis dicat, quid refert quota sit, aliqua plantarum familia, totius florae pars, nona vel decima, simul enim sumendae omnes ratae proportiones ut inde vera naturae indoles eluceat.

In medicorum arte haec non ita valere possunt, cum nec systema nosologicum stabili ac firmo nitatur fundamento, nec omnium regionum bene cogniti sint

morbi endemii. Praeterea nondum satis indagarunt harum rerum periti, morborum sub diverso coelo diversam formam; et in epidemiarum historia, quaeque cum illa tam proxime cohaeret in contagii miasmatumque natura, tot adhuc obscura vel plane ignota latent.

Nec tandem omnibus ad argumentum pertinentibus cognitis, opus juvenile esset uberrimam messem perscrutari, lolium a tritico separare et panem bene coctum conficere.

His aliisque pluribus ratiocinationibus ductus, ration philosophica relicta, historico potius modo argumentum tractare statui, et quia juvat a notioribus ad incognita progredi, de Europa priore loco agendum putavi. In colligenda materia forte fortuna ab Hispania exorsus, capite nondum absoluto, propter argumenti amplitudinem consilium ita mutandum esse intellexi, ut de Europa australi tantum agere mihi sumerem. Cujus porro partem orientalem praetermittendam existimavi, quippe cujus topographia medica maximam partem parum cognita est. Pro virium igitur tenuitate Hispaniam elaborandam suscepi, insulas maris mediterranei (Baleares, Corsicam, Sardiniam, Siciliam, *Malta*) Italiam et Galliam meridionalem. Cum tandem opus jam jam prodituram speciminis Academici volumen longe excedere videretur, duo ultima capita (de Italia et Gallia australi) retinenda duxi. Quod ut facerem praeter nimium in quod excresceret, alia me suasere; mira fortuna nempe accidit, ut de his regionibus, inprimis vero de Gallia australi, quarum si cum aliis Europae meridionalis partibus compares, plura medici-

nam topographicam spectantia innotuere, paucissimos tantum fontes adire, pauciores etiam observationes in usum meum convertere potuerim. Quod ad Galliam meridionalem attinet, plurima quidem observata hîc illic sparsa jacent, in variis academiarum et societatum actis et ephemeridibus, quae nisi in bibliothecis publicis prostant, in privatis raro inveniuntur, quaeque ego ubique frustra quaesivi. Ex omnibus quos de Italia mihi comparare studui, unum duosve hucusque libros accepi (1). Potius igitur alterum postea volumen, quo reliqua persequar, in lucem edere mihi proposui, cum praeterea verisimile sit me ipsum illas regiones aditurum, ubi praeter observandi opportunitatem, cum libros, tum plures virorum doctorum observationes nondum editas, colligendi facultas erit. Haec de argumento sufficiant, pauca de ratione, qua in eo pertractando usus sum, deque difficultatibus, quas offendi, adjiciamus.

Quae ex illis primam mihi molestiam creavit tanta fuit, ut ab opere suscipiendo jam in introitu fere deterrerer. Maxime scilicet fontium premebar inopia. Paucos ab aliis (2) mihi indicatos nactus sum, et pro-

(1) Bibliopola Parisiensis de his scripsit: »Relativement aux bro»chures Italiennes mon correspondant d'Italie me repond: »ces brochures qui après quelques années se perdent, sont »pour la plus grande partie extraits de journaux et introu»vables.''

(2) Debitas hic palam profiteor gratias viris Clarissimis v. BREDA et J. v. D. HOEVEN, quorum alter geologica, alter zoologica mecum communicavit, et viris Doctiss. FOKKER et v. D. WILLIGEN quorum alter fontem, alter annotationem mihi suppeditavit.

fecto quot acta, ephemerides, quoque nomine cetera veniunt, perscrutatus sum, ut eorum, quae recentiori tempore prodierunt, titulos saltem in promptu haberem. Quam paucos, eheu, accipere contigit, quamvis primarii Academiae Lugduno-Batavae bibliopolae magna diligentia apud exteros de iis perquisiverint. Quo factum est ut opus, non eo quo speraverim, modo absolvere licuerit.

Fontium, quos in meos usus derivavi, praecipuorum brevis recensio forsan non abs re, nec incongrua erit. Primarius mihi fuit liber (1) quem edidit L. L. FINKE, immensum ac vere stupendum opus, quod tribus voluminibus largis in 8° totius terrarum orbis, quae de medicina tum temporis innotuere, collegit. Est horreum ingens magna doctrina, majori etiam diligentia collectum; sed cui, ut ipse auctor ait in praefatione extrema ad elaborandum manus non accessit: quod, adversa quadam fortuna (2), ei non licuit, quo factum ut excerptorum potius, quam operis absoluti forma prodierit. Dolendum est, auctorem opus absolvere non potuisse, nec in iis locis vixisse, in quibus plura auxilia literarum ipsi ad manum fuissent, quorum adminiculo ad rem propositam uberius tractandam uti potuisset. Saepe rem justo brevius perstringit (quod quisque libro carens

(1) Hujus titulum vide in catalogo auctorum de Hispania.

(2) Propter domus vicinae incendium omnia, quae ex ejus bonis portari potuere, summa ut solet trepidatione, quum servare studerent, chartarum ac MM. SS. haud minima pars deleta est vel corrupta, quare, omne quod operi elaborando impendere voluerat tempus lacunis explendis dare coactus sit.

ex paginarum indice, in catalogo, quem capitum initio apposui, facile videbit) dum contra, plurima in libro inveniuntur, quae ad medicinam topographicam minus pertinent, nec ullo cum iis vinculo cohaerent (1). Sed illud teneamus, auctorem de omnibus totius terrae regionibus egisse, durissimoque fato opus intempestive edere coactum fuisse. Neque parva est ei laus tribuenda, quod primus talis tantique operis fundamenta jecerit, primus viam ingredi ausus sit. Unicum hoc est opus, ut ita dicam, universale, quo usus sum; quod ad monographias attinet, nonnullos haud parvi pretii auctores in usum convertere mihi contigit, inter quos, quamvis jam antiquum, Doct^i. THIERRY opus variis nominibus sese commendat, et inter illa, quae de Hispania agunt, facile princeps est. Praeter propriam suam locorum, quos adiit, observationem, multorum medicorum hispanorum collegit annotationes, quas iterum iterumque interrogando sibi comparavit. His etiam temporibus, ejus auctoritas manet integra, et recentiores auctores ut OZANAM, sed inprimis RAYER (2) (alter enim non critice satis inter auctores, quos citat, distinguit) eum ad verbum sequuntur v. c. in definiendo morbo *Mal de Rosa*. Opusculum Doct^i. WILLAUME ex opere laudato fere excerptum est, paucissimis tantum additis, quae proprio marte observaverat, quod (quum chirurgus militaris bello Gallico in Hispania adfuit) copiosius facere potuisset. Ad ipsos vero fontes hispanicos nullo

(1) Coaetaneum judicium de opere vide in diario: Salzburgische Med. et Chirurg. Zeitung 1792. IV. 337.

(2) Cf. Diss. pag. 56.

modo mihi aditum patuisse, magis etiam nusquam me eorum versionem invenisse, vehementer doleo (1). Inter alios, qui topographiae praecipuam operam dederunt, est A. DE LABORDE, cujus liber omnibus numeris absolutus dici potest, de quo autem, quum omnium manibus tractetur, nil amplius dicendum videtur. Tertiam hujusce libri paratam esse editionem virorum Doct. A. VON HUMBOLDT et BORY DE ST. VINCENT notis adauctam, serius mihi in notitiam venit. Omnium licet minima sit forma, egregium est HAUSMANNI opus, in quo faciem atque naturam Europae australis ita depingit, ut rectius inscriberetur *Gemälde*, quam *Umrisse*.

De Minorca CLEGHORNIO duce usus sum, quem non ita recentem, egregium quidem nobis ducem obtigisse, lubenter fatemur. Optima nempe methodo usus videtur, qua, coeli et aëris eorumque, quae regio profert, descriptione praemissa, adjectis tabulis meteorologicis, fusius agitur de morbis huic tractui peculiaribus, vel plurimum obviis, ita ut copiosius describantur, qui praecipuum locum tenent, quibus auctor eorum annorum, per quos in hac regione degit, conspectum epidemicum addidit.

Quos de Sardinia adii fontes, hi in regione quidem et incolis describendis, satis placuerunt, topographiae

---

(1) Miratur Doct. HARLESS neminem huc usque Docti VILLALBA opus praestantissimum *Epidemiologia* in Germanicum vertisse sermonem. Cf. ejus dissertatio: Die Meteorologie in ihrer Anwendung auf die Krankheitsconstitution und was ihr Noth thut, inserta in ephemeride: *Journal der Prakt. Heilk. von HUFELAND u. OSANN.* 1836. *August.* 1. *u.* 2 *St.*

vero medicae pars parum satisfecit. Contraria prorsus sententia ferenda de ZIERMANNI opere, quod pauciora de ipsa regione docens, rem potius medicam tractat, quam quidem tam egregie persequitur, ut nihil profecto in opere reprehendendum animadvertas, copiose et egregie agens de iis, quae vim perniciosam in C. H. ostendunt, fusius etiam de morbis communibus tractans, locorum insuper topographiam medicam paucis absolvit. Ex omnibus summas laudes meretur Doct. HENNEN, qui et ipse locos, quos describit, adiit et summâ diligentiâ omnia collegit, quae in variis auctoribus de iis reperiuntur. In descriptione non obiter tantum res attingit, sed fusius regionis coelum aëremque, incolarum dotes, tum animi, tum corporis, victum et diaetam (eaque latissimo quo patent sensu), morbos, et curandi rationem tractat. De ceteris vero, quos passim citavi auctores, nil est quod moneam, quum eorum opera, tantum quadam ex parte, nobis usui fuerunt.

Est hic forsan opportunitas, ut breviter moneam, quomodo in laudandis auctoribus versatus sim. Religiose apposui nomina auctorum, a quibus in usum meum collata mutuavi, quem quidem morem vulgo haud semper observant, itaque aliena pro suis venditant, ut eruditionis speciem prae se ferant. Sed praeter malam fidem, imo malignitatis quandam suspicionem, quae ab hac re non prorsus abest, non omni periculo caret; nihil enim est ubi tam facile vitium irrepat, quam in aliorum locis citandis. Saepius equidem, quando mihi librum ipsum videre contigit, de quo sermo erat, ex alio auctore male citatum inveni locum; auctoris, a

quo illum mutuavimus, nomine apposito, nostra non amplius culpa est, si quando vitium insit. Apposui praeterea utrum citatum aliquem librum ipse inspexerim nec ne, quo neglecto (quod vulgo fieri solet) non amplius dijudicari potest, quosnam revera, quosnam specie tantum libros inspexerint auctores: quum nulla inter illos distinctio facta sit, nec probabile est nullum omnino iis ad manum fuisse, omnes vidisse existimantur. Ex imprudenti tali consilio saepius accidit, quod auctori sententia tribuatur falsa ac erronea, sin vero librum nos non vidisse monemus, in errorem incidere non possumus. Nullus ad argumentum tractandum accedens, ad quod necessario plures adhibendi sunt libri, omnes sibi comparare potest, quos in usum convertere cuperet, neque igitur dedecori esse potest nos vere ac religiose testatos esse.

Alia nec minoris gravitatis erat difficultas argumentum nostrum sermone latino elaborandi. More majorum apud nos dissertationes Academicae Romanorum lingua conscribendae, nec temere hoc ita institutum: est enim eruditorum una quasi civitas, quae Latino sermone, tanquam communi vinculo, continetur. In multis materiis, multisque studiorum generibus, optima est ratio, numquam ut speramus mutanda; in aliis vero rebus tractandis, metuo ne obsit potius, quam prosit. Quod de topographiis medicis v. c. affirmare vix dubito; rarius enim in his, sermone latino utuntur viri docti, quod ex fontium catalogo sponte apparet. Mihi quidem, saepius perquam molestum accedisse ex recentiore lingua desumpta eruditorum sermone enumerare, lubenter

fateor; saepe etiam ipsa verba, ut recte intelligerentur, ea, qua scripta erant, lingua adjungenda erant (1). Sed his missis, aliud est quod mihi, in tali praesertim argumento, negotium facessere debuit. Dubius diu haesi, quam rationem sequi deberem in nominibus regionum, provinciarum, urbium, ceterorumque, de quibus sermo erat, locorum; haec in Latinum sermonem ut verterem, suadebat consuetudo ac mos receptus, sive terminatione Latina adjecta, sive eo usus nomine, quo locus apud Romanos insigniebatur. Sed ipsis nominibus hodiernis, sine ulla immutatione, integris uti malui, literis, quae vocantur, cursivis distinctis; tum quia pleraque terminationem Latinam non recipiebant, tum quia de multis inter viros doctos non constat, quo apud veteres nomine ferrentur, et haud exiguus harum urbium numerus est, quae illis temporibus nondum exstiterunt. A qua tamen ratione non omnis difficultas abest, quoniam ubi vocis casu obliquo opus erat, nomen substantivum commune necessario erat addendum. Praeterea hic uberrimus errorum typographicorum fons, quia inter majores minutis illis typis uti difficile erat, et vocum illarum complures facie admodum barbara, sit venia verbo, se nobis offerunt. In praecipuis quibusdam locis, ut illis satisfacerem, qui aliter sentiunt, nomen apud veteres usitatum adjunxi, vel etiam fontes, quos, de minorum quorumdam situ ac nominibus plura cupiens, adire posset.

---

(1) Multum hoc titulo me debere viris Doctiss. WILLEMIER et ROMEIN, qui Gymnasio Goudano praesunt, palam profiteor.

Major etiam erat difficultas ventorum nomina verbis latinis significandi, nec ea praecipuorum quorumdam ad primam et secundam divisionem (de quibus mox videbimus) pertinentium, sed eorum inprimis qui sequuntur. Recentior nempe ventorum descriptio, cyclus vulgo seu rosa dicta, cum priscis venti nominibus ex prima tantum et secunda divisione conveniunt(1). Veterum more recentiores quoque primo ad quatuor cardines, totidem faciunt ventos cardinales, tum alios quatuor intermedios assumsere. Aliter vero veteres progressi sunt et singulis quatuor primariis, cum a dextro, tum a sinistro latere, duos adjunxerunt, unde duodecim illis exstitere coeli plagae, et simili ratione octo primarios postea augentes viginti quatuor invenere; recentiores contra, quod satis notum est, ex quatuor ventis cardinalibus octo fecerunt, quos porro in sedecim,

(1) Dum haec typis jam mandarentur, amicissimus A. H. HARTMAN DRABBE mecum communicavit dissertationem Cl^i. VON RAUMER, quam infra citabo. Hoc opus summa eruditione simul et perspicuitate conscriptum mihi prius non innotuisse vehementer doleo, quaedam igitur ex illo desumpta hîc annotasse sufficiat. Refutat auctor vulgarem, etiam illorum sententiam qui plurimam operam huic rei dedere (ut CORAY v. c.), quod cyclus octonarius veterum cum recentiorum octonario conveniret, et probavit Eurum v. c. quem CORAY dixit *Sud-est*, quindecim gradus altius Solanum versus adscendere et igitur fere convenire cum Z. O. t. O. cycli 32-arii. Cyclus praeterea in 24 plagas divisus, proprie antiquitus non in usu erat. Sin vero illum adhibeamus qualis apud VITRUVIUM occurrit nostra comparatio cycli 16-arii recentiorum et 24-arii veterum servari potest, inprimis cum eo tantum consilio nominum recensionem adjunxi ut quae in diss. ipsa occurrunt nomina ventorum melius intelligi possint.

triginta duo et ita porro dispertiebantur. Apud veteres duo quasi habemus systemata, quae, si numeris exprimantur, erunt: alterum 4, 8, 24; alterum 4, 12, et secundum alios 36, (quod tamen nusquam notatum reperi); cum neutro horum systematum convenire posse recentiorum 16, 32, sponte apparet. Magna praeterea exinde oritur confusio, quod in variis systematibus varia eidem plagae vel vento nomina dederunt. Duobus exemplis rem illustrare liceat: *Εὖρυς* HOMERI non convenit cum *Εὔρῳ* ARISTOTELIS, et Boreas PLINII in divisione octonaria aliud significat ac in divisione duodenaria. Idem ventus multa habebat nomina, quorum alia a loco petita unde spirare videbantur, alia casu quodam temere sic appellata esse credibile est. Romani vero et nomina graeca suo more corrupta, et peculiaria vere latina adhibuere. Rarius autem ventorum nomine simul plagam significarunt, uti sunt: Euronotus, Libonotus. Observatu dignum est, in Europa meridionali (apud Italos v. c.), quamvis recentiorum cyclo utantur, quemque ventum tali potissimum nomine appellatum esse, quod notat locum unde oriatur, quo facto igitur si loci situs nobis esset incognitus, ipsa plaga nos lateret: sic v. c. N. *Tramontana*, N. O. *Greco*, Z. W. *Libeccio*. Temere prorsus tributa nomina videmus in N. W. *Maëstro*, Z. O. *Scirocco*, inter quae nullum commune vinculum est; in aliis regionibus nomen a loco vicino petitum vento imponunt, uti in urbe *Avignon*, Aquilo *la Barroussière* vocatur, quia ex vico *Barroux* ortum ducere videtur; quisque fere locus peculiaria quaedam et propria catalogo adjungit, uti

nomina, *Imbattu*, *Rampinu*, *Garbin* etc. satis evincent; ut paucis absolvam, eadem adhuc in ventorum doctrina deprehenditur confusio in Europa meridionali, quae apud veteres, hoc tantum discrimen videmus quod perpetuo cum ventorum nominibus systematicis conveniat vulgaris denominatio. Cum recentiorum rosa in sedecim partes divisa, nec ad veterum duodenariam, nec ad eam, quae in quatuor et viginti plagas est partita, quadrat, tali usi sumus ratione, qua difficultas, nisi prorsus tollatur, at levetur saltem. In eadem tabula si describantur duo cycli, alter in sedecim, alter in viginti quatuor partes divisus, quemque illius cycli ventum intermedium esse apparet inter quatuor et viginti hujus cycli ventos, qui v. c. Belgice vocatur *Noord Noord-Oost* [N. N. O.] Gallice *Nord Nord-Est* [N. N. E.] intermedius est inter Gallicum et Supernatem, hic Aquilonem versus vergit, ille pariter versus Septentrionem. Semper autem ejusmodi periphrasi uti cum longum esset, horum nominum primum eligimus quo ventus e cyclo recentiorum sedenario significaretur. Quod ut magis in oculos incurreret, ac simul certam quamdam normam haberemus, sequentem indicem struximus in qua Belgicam ac Gallicam rosam sedenariam cum Romanorum 24-aria comparavimus:

BELGICA.	GALLICA.	ROMANORUM.
N.	N.	Septentrio.
N. N. O.	N. N. E.	Gallicus. / Supernas.
N. O.	N. E.	Aquilo.
O. N. O.	E. N. E.	Boreas. / Carbas.
O.	E.	Solanus.
O. Z. O.	E. S. E.	Ornithiae. / Caesias.
Z. O.	S. E.	Eurus.
Z. Z. O.	S. S. E.	Vulturnus. / Euronotus.
Z.	S.	Auster.
Z. Z. W.	S. S. O.	Attanus. / Libonotus.
Z. W.	S. O.	Africus.
W. Z. W.	O. S. O.	Subvesperus. / Argestes.
W.	O.	Favonius s. Zephyrus.
W. N. W.	O. N. O.	Etesiae. / Circius.
N. W.	N. O.	Caurus.
N. N. W.	N. N. O.	Corus. / Thrascias (1).

(1) De ventorum doctrina apud veteres Cf.: Traité d'Hippocrate des airs, des eaux et des lieux. Trad. nouv. par Coray. Paris, An IX (1800). Discours préliminaire I. p. lxviij—lxxxiij; ad operis calcem reperitur tabula in qua cycli 4-, 8-, 12-arii

Nonnullae in opusculo inveniuntur tabulae, cum coeli temperaturam, tum morbos exhibentes, has integras mutuati sumus, illas vero, cum ex varia auctorum notandi ratione divisionem continerent Fahr. vel R., omnes ad centigrados redegi (1), ut eadem ubique uteremur norma et variarum regionum coelum aptius inter se conferre liceret; ex his tabulis alias quasdam deduxi uti suo loco docebitur.

Propositum erat ultimo capite varia, quae ex regionibus inter se comparatis deducere valerem, complementi instar adjungere, consilio vero mutato ad totius operis finem haec rejicere malui, quia plura tum nobis praesto erunt comparandi subsidia. Idem dicendum de pictis tabulis nosographicis, quas opusculi calci adnectere in animo erat, paucae, quas hujus generis vidi, pro argumenti gravitate minus accurate elaboratae videbantur; hoc praesertim nomine parum se commendabant, quod eaedem alia justo levius perstringere solent, in aliis altius penetrare, prouti auctor vel loca praesens viderit, vel breviarium e libris sit mutuatus,

---

omnium auctorum veterum, qui de ventis egere, cum cyclo 16-ario recentiorum (*des Flamands et des Italiens*) comparantur et omnia ventorum synonyma reperiuntur; quae in opere laudato citantur Claud. Salmasii Plinianae excercitationes, Traj. ad Rhenum, 1689. pag. 878—892, ubi schemata octo- et dodecagona occurrunt; et egregia quam edidit Cl. R. VON RAUMER diss.: die Windrose der Griechen u. Römer in diario: *Rheinisches Museum für Philologie von F. G. VON WELCKER und A. F. NAEKE Bonn. 1837. Jahrg. V Heft 4 p. 497—522* cum tribus schematibus.

(1) Amicissimo A. K. KEMPER palam quas debeo gratias ago, qui in tabulis redigendis summa cura ac diligentia mihi auxilio fuit.

nunc vel minimos vicos vario colore notatos invenies, quippe in quibus morbus quidam endemius sit, nunc longos latosque tractus unus idemque color obducit.

Haec jam de hocce opusculo sufficiant; ultimum jam et pium mihi superest, quo fungar officium. Summo scilicet ardore hanc occasionem arripio, ut vobis palam me obstrictum fatear, et gratias agam, quas habeo maximas, easque ex sincero pectore depromptas, Viri Clarissimi, quos in curriculo Academico duces fidelissimos me habuisse, cum in studiis philosophicis, tum in medicis, impense gaudeo. Tibi praesertim quantum debeo Cl. REINWARDT, qui tenuissima, quibus eruditus hanc musarum sedem intravi, initia non tantum excoluisti, verum etium rectam mihi ostendisti viam, qua in his disciplinis maxime proficere possem. Nec mihi tuis scholis egresso defuisti, sed omni tempore summa me benevolentia prosequi ac egregiis tuis consiliis adjuvare perrexisti, quod vel nuperrime me expertum esse gratus profiteor, cum in botanicis versanti tu mihi fontes suppeditasti, unde quae falsa ac erroris plena, quae contra vere ac egregie de eodem argumento essent allata et accurate scripta cognoscerem. Ad locupletissimam bibliothecam aditum mihi aperuisti, librum recens editum a te acceptum statim mecum communicasti. Sed quid benevolentiam tuam, quam omnes noverint, laudibus extollam, plurimi, jam botanicae doctrinae laude hodie in patria florentes, humanitatem tuam praedicarunt et dignas tibi gratias egerunt, iis sese meum nunc homuncionis adjungit grati animi testimonium.

Haud secus tu Cl. JANE VAN DER HOEVEN non solum praestantissimis tuis praeceptis in studiis zoologicis mihi mire profuisti, sed per totum curriculum academicum tam singulari humanitate me semper complexus es, ut cum saepius te adirem, numquam irrita via esset infectoque negotio a te discederem.

Vobis inprimis, qui scholis medicis summa eruditione praeëstis, Viri Clarissimi SANDIFORT, MACQUELYN, PRUYS VAN DER HOEVEN, BROERS, quomodo umquam quas vobis optimo jure debeo persolvam gratias? nam quantascunque mihi agere dabitur, majores tamen habebo. Tibi prae ceteris, Cl. PRUYS VAN DER HOEVEN, aestumatissime Promotor, pro prudenti consilio et strenue mihi navata opera quid debeam sentio, ac gratum habeo servaboque animum.

Dulcis et utilis consuetudinis et convictus memor, quibus saepius mihi frui licuisse admodum gaudeo, vobis ago gratias quam maximas V. V. C. C. UYLENBROEK, J. VAN DER HOEVEN, C. PRUYS VAN DER HOEVEN, BROERS, VAN BREDA.

Vobis cunctis, quaecumque hominibus tribuuntur bona, profusa Deus optimus maximus largiatur manu, vivite felices ac incolumes in honorem Academiae Lugduno-Batavae inque patriae gloriam ac decus.

Tandem commilitonibus mihi est valedicendum, quos socios et amicos per multos annos me habuisse contigit, quibuscum aut jucundissimae consuetudinis vinculo junctus eram, aut variis collegiis Academicis tam publicis, quam privatis, interesse delectatus sum. Vos inprimis Disputandi Collegiorum Socii, quorum alte-

rum studiis philosophicis dicatum, Symboli memor, AD MAJORA tendit, alterum ERUDIENDO ET OBLECTANDO medicinae studia provehens, summos in arte viros in sociorum numero se habuisse gloriatur, ne mei sitis immemores. Vestrum omnium numquam non reminiscar,

Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.

CAPUT PRIMUM.

HISPANIA. *ESPAÑA.*

AUCTORES.

L. L. FINKE, Versuch einer allgemeinen medicinisch-praktischen Geographie, worin der historische Theil der einheimischen Völker- und Staatenarzeneykunde vorgetragen wird. Leipzig 1792, 8°. I. 3—26 et III. 3—53.

BURLETT, de variis Hispanorum morbis Diss. 1714. (Citat FINKE; librum non vidi.)

THIERRY, Observations de Physique et de Médecine faites en différents lieux d'Espagne. Paris 1791. Hujus versionem Germanicam dedit C. P. FISCHER; Hildburghausen 1794, qua ego usus sum.

A. WILLAUME, Notice physique, médicale et historique sur le climat, le sol et les productions de l'Espagne. Paris 1812. 8°.

DON JOAQUIN DE VILLALBA, Epidemiologia española o historia cronologica de las pestes, contagios, epidemias y epizootias, que han acaecido en España desde venida de los Cartaginienses hasta el anno 1801 etc. Madrid, 1810. 4°. (WILLAUME hujus operis titulum mancum refert pag. 13; librum non vidi.)

F. LE PLAY, Observations sur l'histoire naturelle et sur la richesse minérale de l'Espagne. Paris 1834. 8°.

DON JUAN ALVAREZ DE COLMENAR, Les délices de l'Espagne et du Portugal etc. Leide 1715. 6 Vol. 12°.

ALEXANDRE DE LA BORDE, Itinéraire descriptif de l'Espagne et tableau élémentaire des différentes branches de l'administration et de l'industrie de ce royaume. 2e Edit. Paris 1809. 6 Vol. 8°.

Umrisse nach der Natur, von JOH. FRIED. LUDW. HAUSMANN. Göttingen 1831. p. 119—190.

Undique mari circumdata, unico tantum excepto latere, ubi, intercedentibus montibus, cum Continente cohaeret, a gradu 43°, 46′, L. B. usque ad 36°, regio sese extendit formae ferme quadratae, quam veteres cum pelle bovina expansa comparabant. Ipse peninsulae situs, ab Europae regionibus sejunctus, explicat peculiaria quaedam, quae in illa permulta deprehendimus. Ipse nexus, quo Europam tenet, limes est trangressu adeo difficilis, ut fere dubitares, quanam parte, terra an mari, melius sit seclusa. Putant quidem vulgo Pyrenaeos Alpibus per montes Cebennos junctos esse, sed cohaesio inter illa juga existit in mente tantum geographorum, nec revera adest. Montes Cebenni et a Pyrenaeis et ab Alpibus disjuncti sunt, et praesertim ab illis satis largo tractu separati. Praeter minorem altitudinem (1) Pyrenaei ab Alpibus hisce characteribus distinguuntur (2):

---

(1) Cacumen *Pic de Nethou* 10722 pedes Parisienses altum, 4000 igitur infra summa Alpium cacumina. HAUSMANN, l. l. p. 113.

(2) HAUSMANN, l. l. p. 111-119.

Habitu exteriore. Cristae cohaerentes in Alpibus observantur, dum in Pyrenaeis cacumina solitaria ex basi jugi ad ingentem altitudinem adscendunt.

Amplitudine. Jugum in genere contractae latitudinis, valles longitudinales [*Längethäler*], quae ramos a se invicem separant, non occurrunt; Alpes contra magnam latitudinem occupant vallesque amplos includunt.

Aquarum abundantiâ. Non inveniuntur in Pyrenaeis lacus, quorum tam magnum numerum in expansione vallium transversalium [*Erweiterung der Querthäler*] et in jugis secundariis [*Vorgebirge*] Alpium offendimus.

Compositione. In Alpium partibus primariis majus spatium occupant formationes schistaceae, inprimis gneissum et schistus micaceus; in Pyrenaeis granites (1).

Nivis aeternae copiâ. Minus latum campus nix tegit in Pyrenaeis, quam in Alpibus, propter minorem altitudinem et situm meridionalem. Aestate numquam in illis conspicitur stratum nivis, nullibi interruptum. Montes glaciales [*Gletscher*] in Pyrenaeis tantum in proclivitate summorum cacuminum reperiuntur; dum in Alpibus valles invadunt et prata, vel etiam arva, hîc illic attingunt. Hinc aquarum inopia in illis, in his summa abundantia.

Vegetatione. Arbores in Pyrenaeis, propter clima calidius, majorem altitudinem attingunt, sed sylvae minus densae; eadem pauperies in producendis graminibus. Hujus rei causae esse videntur minor humiditas aëris et soli, ventus siccissimus Auster et ratio agrorum colendorum minus accommodata.

---

(1) Cf. porro HAUSMANN, l. l. p. 114.

Propter lignorum inopiam in Pyrenaeis aedes plerumque lapideae, quae ligneae in Alpibus.

Ex Pyrenaeo monte complures alii originem ducunt, alii cum illo cohaerent, quos breviter recensere lubet.

Primum sese offert jugum Cantabricum, ferro ditissimum, minoris altitudinis, quam Pyrenaei [4—3000 p. p.] formâ magis regulari, vallibus angustis, cacuminibus summis admodum distinctis. Hoc excipit Asturicum, murus quasi calcareus, magis cohaerens et declivis. In *Gallizia* demum transit in varios ramos humiliores, quorum latera paulatim planioris sunt declivitatis (1). Granites Pyrenaicus jam prope *Irun* desinit et recentioribus formationibus excipitur.

Erronea multorum est sententia, varia juga Hispaniam mediam dividentia, ex Pyrenaeis ortum ducere, et jugo communi inter se cohaerere; hic error jam a LINKIO (2) indicatus, probabiliter inde repetendus, quod in conficiendis mappis geographicis, ubi auctores non recte observarunt montium cursum, ficticia quaedam delineant, secundum flumina et rivos. Jugum istud primarium, quod in quibusdam mappis Ibericum vocant, non est continuum, quamvis quaedam in eadem directione inveniantur juga. Neque sola directio evincit juga quatuor, Hispaniam secantia, solitaria esse, sed etiam habitus atque compositio. Tendunt autem montes in Hispania universe a Gallico ad Subvesperum.

---

(1) Cf. ALEXANDER VON HUMBOLDT, Ueber die Gestalt und das Klima des Hochlandes in der Iberischen Halbinsel. Hertha. IV Bd. 1825. cit. HAUSMANN.

(2) Geologische und mineralogische Bemerkungen auf einer Reise durch das südwestliche Europa, besonders Portugal. Von H. F. LINK, 1801. s. 101. cit. HAUSMANN.

Ad fines occidentales Arragoniae primum horum quatuor jugorum incipit, limitemque facit inter provincias *Castilia la Vieja* et *C.la Nueva*, nomine *Somosierra* et *Guadarrama*. Ulterius procurrens variis insignitur nominibus, ut: *Sierra del Pico*, *Montaña de Griegos*, *Sierra de Gata*, et jungitur tandem Lusitanico *Serra de Estrella*. Minus continuum est jugum quam Pyrenaei; diversa potius sunt juga minora, quorum initium, *Somosierra* et *Guadarrama*, diutissime cohaerent, neque tot ac tantos ramos mittit. Ab utraque parte limitatur planitie edita [*Hochebene*]. Planities Septentrionalis 2300 (1), meridionalis 2000 p. p. supra mare alta. Summa cacumina jugi 7700 p. p. attingunt. Praecipue componitur granite et gneisso.

Alterum decurrit inter flumina *Tajo* [Tagum] et *Guadiana* [Anatem.] Initium ducit in provincia *la Mancha*, continuatur sub nominibus: *Montes de Consuegra*, *Sierra de Yvenes*, *Motañas de Toledo*, *Sierra de Guadelupe*. Secundum LINKIUM (ipse HAUSMANN tantum finem orientalem adiit) praesertim constat ex granite.

Tertium, quod originem habet in finibus orientalibus ejusdem provinciae et decurrit inter *Guadiana* [Anatem] et *Guadalquivir* [Baetim], vocatur *Sierra Morena;* summa cacumina non excedunt 3000 p. p. Ad radicem me-

---

(1) In altitudinum annotatione secutus est HAUSMANN, ALEXANDER VON HUMBOLDT, l. l. Elementos de la geografia astronomica natural y politica de España y Portugal por el Señor DON ISIDORO DE ANTILLON. Edic. 3. Madrid 1824. Diccionario geografico estadistico de España y Portugal por el Doctor DON SEBASTIAN DE MIÑANO. Madrid 1826. Mapa civil y militar de España y Portugal por DON ALEJO DONNET, publicado en Paris 1823. cit. HAUSMANN. l. l. p. 125.

ridionalem granites reperitur, e quo inter alia formatur planities edita *de Linares*, massa autem praecipua constat ex schisto-griseo [*Grauwackenschiefer*] cum magnis stratis saxi quarzosi [*Quarzfels*]. In illa hujus jugi parte, quae ad Caurum tendit, *Almaden* sita est, ubi jam inde a Romanorum tempore mercurius effoditur.

Quartum meridionale juxta littus Hispaniae australis sese extendit, vel potius ora maritima juxta jugi decursum formata est. Distinguitur a prioribus: quod juga complura alta in illo inveniantur parallela, quibus formantur valles longitudinales, quae in ceteris jugis absunt. Neque continuum est, sed pars orientalis, *Sierra Nevada*, prorsus ab occidentali, *S. de Ronda*, sejuncta. Altitudine cacuminum vel Pyrenaeos superat, sic mons *Cumbre de Mulhacen* 11105. p. p. (1) altus est, *La Valetta* 10841. Longe igitur superat limitem nivis aeternae, qui fere ad altitudinem 8600 p. p. incipit, dum in Pyrenaeis usque ad 8400 et 8100 descendit. Ceterum hoc jugum satis angustum est, maxima enim latitudo ab urbe *Granada* ad *Almunecar* est XIV milliarium; hinc declivitas admodum ardua, inprimis versus meridiem, ubi ad mare usque decurrit, ad septentrionem vero juxta radicem, planities editae sese expandunt urbium *Guadix* [Acci, Colonia accitana] et *Granada*. Constat ex multis jugis et ramis, quae variis veniunt nominibus: *Sierra de Aljamilla*, pars orientalis jugi maritimi, quam sequuntur: *Sierra de Gador* [6787], *S. de Contraviesa* [4699] et *Cerrajon de Murtas* [4620]; huic ad occidentem junguntur *Sierra de Lujar* [5970] et *S. de las Almijaras*. Versus Afri-

(1) Metitus est DON SIMON ROJAS CLEMENTE.

cum, prope urbem *Malaga*, ultimum excipiunt *Sierra de Mijas* et *Sierra de Bermeja*, quae ad *S. de Ronda* tendunt et infimam Hispaniae partem occupant.

Si ad structuram internam attendimus, ilico magnum discrimen inter hoc et cetera juga sese offert; granites nempe, quod ceteroquin in Hispania abundat, prorsus in jugo meridionali abesse videtur. (1)

Praeter ista, quae recensuimus juga, minora quaedam reperiuntur vel solitaria vel cum prioribus quodammodo conjuncta. In quibus distingui meretur illud, quod in finibus Arragoniae, utriusque Castiliae et Valenciae, cursum sequitur fluminis *Ebro* [Iberi], et complectitur *Sierra de Molina* [4124], *Peñagolosa* [6089], *Muela de Ares* [4077]. Alterum prope *Jaën*, inter vallem fluminis *Guadalquivir* et planitiem editam urbis *Granada*, constans formationibus junioribus diluvialibus [*Jüngere Flötzformationen*].

Ex brevi hac montium Hispanorum recensione apparet, jugorum extensionem imminui, quo magis ad meridiem vergunt. Ramificatio sensim sensimque versus meridiem inflectitur, unde etiam fluminum alvei, si a septentrione ordiamur, cursum primarium magis relinquunt, quo propius ad mare accedunt; si cursum fluminum *Douro*, [Durii] *Tajo*, [Tagi] *Guadiana*, *Guadalquivir* invicem comparamus, luculentius hoc apparet; prior enim usque ad ostium directionem servat; *Tajo* prope *Santarem* ita ad meridiem deflectitur, ut dirigat se secundum Africum; *Guadiana* ab urbe *Badajoz* (2), eodem modo, usque ad *Beja* [Pa-

(1) Cf. porro HAUSMANN, l. l. p. 130. sq.

(2) Colonia Pacensis seu Pax Augusta unde Mauri fecerunt *Pax Augos* demum *Badajoz*.

cem Juliam] procedit, ubi tam praecipite declivitate mare petit, ut sequatur Vulturnum; *Guadalquivir* demum prope *Sevilla* [Hispalis (1) seu Colonia Romulea] versus meridiem incurvatur.

Sufficiant haec de oreographia generali Hispaniae; fusius de quibusdam montium jugis videbimus in descriptione peculiari provinciarum; summae enim utilitatis est ad montium juga attendere in topographicis, praesertim vero regionis, qualis est Hispania, cujus varia natura illis debetur. Diversa inquam diversarum Hispaniae partium natura, neque minus discrimen observatur inter ipsas invicem, quam inter Hispaniam et ceteras Europae regiones. Aërem, solum et quae profert, prorsus diversa in singulis Hispaniae provinciis invenimus, ne dicam de ipsis incolis, constat enim hominis dotes, cum corporis tum animi, diversas esse pro rebus externis cum circumdantibus.

Tres indagantibus obviae fiunt partes, media regio plana, editissima, nucleus quasi, ab utroque latere jugis magnis inclusus, duas alias, borealem et meridionalem, arctis finibus circumscribentibus. Jam has magis enucleate describamus, primo inquirentes in soli, aërisque naturam, et productorum varietatem, tum de incolis agentes, verbo indicabimus eorum dotes tum corporis tum animi, ut fusius denique videamus de nexu inter illos et res externas, victu, diaeta, et inprimis de morbis, quibus prae ceteris afficiuntur. Qua in disputatione hunc sequemur ordinem, ut primo agamus de media Hispania, dein de boreali, tandem de meridionali.

---

(1) Hispalis seu Spalis, Mauri mutarunt in *Sbilia* seu *Isbilia*, unde ortum *Sevilla*.

Hispania Media.

Nulla Europae regio tam late patentem planitiem editam [*Hochebene*] exhibet, utrasque enim amplectitur Castilias, partem Arragoniae, *Leon* et *Estremadura*. In duas partes dividitur jugo *Guadarrama*, quarum superior *Castilia la Vieja* et *Leon*, minus lata ad majorem altitudinem exsurgit, 2300 p. p. maris superficiem superans. Inferior *Castilia la Nueva*, partem Arragoniae, *Estremadura* et *la Mancha* complectitur, usque dum a *Sierra Morena* clauditur, et supra mare ad 2000 fere pedes elevatur. Plana deserta, tristia, adspectus uniformis, hîc et illic collibus nudis tantum interruptus. Componuntur maxima parte e formationibus recentioribus, vetustioribus illis, quibus juga montium formantur, superstructis. Duae inprimis distinguuntur, arenaceo-marnosa, Anglorum *new red Sandstone* et *red Marle* similis, coloribus stratorum variis insignis, inter quos tamen multus est rubro-brunneus, et calcareus levis cum albo jurassico mediorum Apenninorum conveniens. Solum tenax, facile indurescens, multisque fissuris exaratum; arva, pessime culta, triticum inprimis et hordeum ferunt. Ericeta late patentia tegunt cistus et paucae herbae aromaticae; nusquam graminum laetum ac densum tegmen solum adversus radios ardentes fervidissimi solis et venti exsiccantis flatus tuetur. Interdum ut passim in margine jugi *Somosierra*, ad radicem meridionalem *Guadarrama* prope *Escorial*, depressae, contortae quercus foliis persistentibus, aliis foliis deciduis immixtae, raras faciunt sylvas. Paucissimis locis a ventis et solis ardore tutis, ubi aquae abundant, majores inveniuntur arbores, ulmi v. c. hederâ coronati, ut in fundo *Manzanares* prope *Madrid*,

in valle Tagana prope *Aranjuez*, sed rarae hae insulae regionis potius sterilitatem oculis produnt. Haec arborum inopia duplicem causam habet, minime revera solum arborum incremento favet, sed praeterea incolae summa cura omni aevo illarum culturam impediverunt. Ferme iis horrori est arbor, dum errore numquam exstirpando sylvas volucres allicere credunt, quibus arva maxime infestantur. Hinc sensim tanta aquarum inopia orta, quae deficientibus paludibus turfosis, aëre per majorem anni partem sicco, et strato minore nec perpetuo nivis in montibus, ita insignis, ut aestate rivi et fluvii minores prorsus exsiccentur, tenueque tantum aquae filum majores exhibeant.

Al. de la borde, (1) contra affirmat solum aquis rigatum, ita ut ad altitudinem duorum pedum jam saepe illas offenderes, hinc leviter tantum arva exarantur et messes tamen uberrimae. Disculpat incolas regni *Castilia la Vieja* inertiae ac incuriae, non solum quod ad agros pessime cultos, sed etiam ad arborum inopiam, dum causam necessariam in hac aquarum abundantia invenit. Quibusdam in locis forsan haec ita sese habere possunt, ubi excavatio quaedam et soli depressio aquarum meatus sponte versus hanc partem alliciunt. Sed potius facerem cum hausmanno, cujus argumenta supra allata majoris revera sunt ponderis.

Aër harum regionum planarum editarum siccissimus, fervidissimus, aestate revera ardens. Magnum interim discrimen videmus inter caloris gradum diurnum et nocturnum, neque minus eadem in re inter varias anni

(1) L. l. III. p. 47. sq.

tempestates. Hinc caloris gradus medius per totum annum inferior, quam in aliis regionibus eadem latitudine sitis. Sic, ut observationibus peculiaribus rem firmemus, medius caloris gradus urbis *Madrid* est 12° R, qui prope *Marseille* $11\frac{4}{5}°$, *Toulon* 13°, *Napoli* 14°; *Genoa*, quamvis 4° fere gradus latitud. magis septentrionem versus sita, calorem 2° majorem habet. (1) *Roma* 1°29′ magis sept. versus sita, tamen calore illi par. Aurantia et citrus ibi non sub divo servari possunt, quod egregie succedit in Calabria, Thessalia, Asia minore, in eodem parallelo sitis.

Ut melius aëris rationem perspectam habeamus, breviter de quibusdam locis praecipuis videbimus, quum praesertim in tanto tractu in multis differre illa inveniemus, quae descriptione generali complectere non possumus.

Madrid. [Mantua Carpetanorum]. Coelum pulcherrimum, serenissimum, numquam nebulae et nubes solis radios arcent. Aër siccissimus, tenuis, per omnes anni tempestates, inprimis autem hieme, peculiarem istam elasticitatem habet, quam neque aestivo ardore amittit. Pulmonibus inimicus est, quia stimulus nimius celeriter in his organis subtilissimae structurae gravia adfert mala. Et systemati quoque nervoso nocet, ita ut saepe spasmi sequantur subitum ex aprico in umbram transgressum. Caloris gradus admodum varius, mane saepe mercurius punctum congelationis ostendit, et horis pomeridianis 4—5 ad 15°—16° R.

---

(1) Hoc exemplum Doct. DE LA BORDE, minus congruum; nam totus sinus a Pyrenaeorum radice orientali usque ad *Massa* majorem calorem habet, quam aliae regiones ejusdem latitudinis propter ventos australes nullis montibus exceptos, sed libere trans mare terras adeuntes, ut in posterum fusius videbimus.

adscendit septentrioni oppositus, dum meridiem versus spectans et radiis solis percussus ad 38° et 39° evehatur. Praesertim mense Februario ingens hoc discrimen obtinet, quod interdum ad 40° R. provehitur. Duae potius dantur anni tempestates, frigida et calida. Prior a medio Septembri usque ad finem Aprilis, gradus extremi sunt 7°—9° infra congelationis punctum; semel tantum THIERRY ad 10° usque descendere vidit mercurium. Majo jam cito calor ita augetur ut insuetis molestus fiat; Julio et Augusto culmen attingit, vulgo inter 23°—28° R. medius est; mense Septembri descendit ad 18°—22°, Novembri 14°—16°. Etiam in fervidissima aestate mane et noctu frigus interdum satis vehemens. Sin ordinariam anni in quatuor tempora divisionem sequi volimus, hae quidem illarum fere sunt indoles: ver temperatum, saepe calidum, interdum pluvium; aestas fervidissima, Julio et Augusto revera suffocans calor; autumnus pulcherrimus, gratam post aestivos ardores recreationem adferens; paulatim caloris gradus imminuitur et medio Novembre frigus sentitur, quod hieme satis molestum fit (1). Pluviae admodum rarae neque diuturnae.

---

(1) DE LA BORDE, l. l. I p. CLIII sequentem temperaturae mediae dat tabulam:

Januario	3°8 R.
Februario	5°4
Martio	7°4
Aprili	9°2
Majo	12°2
Junio	18°1
Julio	22°2
Augusto	15°0
Septembri	20°6

Venti frequentiores sunt Septentrio hieme, Favonius et Auster vere, prior frigidus admodum, siccus et totum corpus pervadens, hic calidus ac pluvius saepe. Aestate interdum Auster, saepius vix ullus ventus sentitur. Procellae et tonitrua rariora.

Talavera de la Reyna [Talabrica? Ibora seu Ebora? Libora?] Coelum purum serenum, hiemes mitiores quam in urbe *Madrid*, aestates haud minus fervidae.

Aquae medicatae (1) quae in his provinciis inveniuntur, sunt:

Castilia la Vieja.

I. Frigidae.

1. *Arnedo* II milliario a *Calahorra.*
2. *Canajales* [*la fuente de la Barrosa*]. } prope *Benaventa* in ditione *Campos.*
3. *Villanueva de Azongue.* } prope *Benaventa* in ditione *Campos.*
4. *El Peñon* prope vicum *Manganeses.*
5. *Arrabalde.*
6. *Boadilla de Rioseco* I mill. a *Villalon.*
7. *Fuentes de Boecio* prope *Briviesca* VI mill. a *Burgos.*

II. Thermae.

1. *Oravalos* II mill. ab *Arnedillo.* Aquis utuntur ad potum.

---

(1) A. DE LA BORDE, Hispaniae aquas medicatas recensuit l. l. V. p. 483-496, quem secuti sumus. Dolendum fontium naturam et proprietates saepius omissas esse. Scripsit praeterea de illis PEDRO GOMEZ DE BEDOYA Y PAREDES in opere, *Historia universal de las fuentes minerales de España.* Sant Jago 1764. 40. 3 vol. In quo catalogus et analysis invenitur operum hac de re editorum. cit. DE LA BORDE l. l. V. 482. J. L. ALIBERT, Précis historique sur les eaux minérales les plus usitées en médecine etc. Paris 1826.

2. *Arnedillo.* Sulphurosae et gazosae. Utuntur illis ad potum, balnea et vaporaria.
3. *Torrecillo de Cameros* [*la fuente de Ribales Baños.*]
4. *Lurganes* [*la fuente Santa*]. Ut et superior potatur.
5. *Foncalda* prope *Bamba* I mill. a *Peñaflor* vix ab aqua communi differt.
6. *La fuente Hedentina* seu *Hedionda* prope vicum *Barco de Avila.* Sulphurosa. Potari potest.
7. *Samo Sancho* [*la fuente del Regajal*] quarta mill. parte a vico *Alaraz*, III a *Bracamonte.* Sulphurosa. Hac ad balnea et potum utuntur (1).
8. *Baños* prope *Bejar.* Aqua sulphuroso-hepatica. 30° R. Eidem ac superior usui est.

Castilia la Nueva.

I. Frigidae.

1. *Colmenar viejo* VI mill. a *Madrid.*
2. *La fuente del Canalon* prope vicum *Duron.*
3. *La fuente de la Alameda de la Sagra* IV mill. a *Toledo.* Aquae salinae purgantes.
4. Plures fontes prope *Cevicu* primo cum dimidio mill. a *Brihuega.* Salini purgantes.
5. *Vacia-Madrid* III mill. a *Madrid*, continet sal Glauberi, Ebshamense et seleniten.
6. Duo fontes prope *Anover* inter *Aranjuez* et *Toledo*, continent sal Ebshamense.

II. Thermae.

1. Prope *Buendia* IV mill. a *Haeta* quo ad balnea utuntur.

---

(1) De aquis *Alaraz* et *Muñana* scripsit DON FRANCISCO ALONSO ESTEVAN Y LECHE, Salamanca 1752. cit. DE LA BORDE, I. l. 496.

2. *Trillo* (1) Aquae potui et balneis inserviunt. Adsunt etiam lutoria.
3. In valli *Solar de Cabras.* Balnea. Vix ab aqua communi differt.
4. *La fuente del Rosal* prope *Beteta.* Potui inserviunt aquae calidissimae.
5. *Sacedon* (2) I mill. a *Buendia.* Ad balnea, potum et lutoria utuntur aquis.
6. *La fuente del Toro* prope *Molar.* Potari potest.
7. Duo fontes in ripa *Guadiala* I mill. a vico *Alcantud.* Sulphurosi. Potui, balneis et lutoriis inserviunt.

La Mancha.

I. Frigidae.

1. *Gravatula* in *Campo de Calatrava.*
2. *La Maestranza* ibidem.
3. *Puerto Lano* ibid.
4. *La Nava* ibid. II mill. ab *Almagro.*
5. *La Canales* II mill. ab *Almodovar del Campo.*
6. *La fuente Santa* seu *fuente de Buitre* I mill. a vico *Sauco*, V ab *Alcaraz.* Balnea.

II. Thermae.

1. *La fuente caliente* in vico *Fuen-Caliente*, qui inde nomen accepit. Ad balnea, lutoria et potum usui est.

---

(1) De his diss. scripsit DON CASIMIR GOMEZ ORTEGA. cit. DE LA BORDE, l. l. V. 494.

(2) Cf. DON JUAN GAYAN Y SANTOYE, *Mapa historical y discursos analyticos de los Baños de Sacedon, Corcolos, Trillo y Buendia* 1760. cit. DE LA BORDE, l. l. V. 494.

Leon. [Legio]. Calor in hac quidem provincia non ita intolerabilis, quum regio multis ramis secetur Pyrenaeorum Asturicorum. In parte septentrionali plures etiamnum inveniuntur sylvae, inprimis quernae (*Quercus Sempervirens* et *Q. Ballota* cujus glandes edules). Partem meridionalem prope *Salamanca* [Salamantica] *Sierra de Gata* et *Sierra de Francia* trajiciunt; intermedia autem inter *Zamora* [Sentiça (1)], *Salamanca*, *Valladolid* [Pincia seu Pincium, Vallisoletum], *Palencia*, vera est planities edita, Castiliensi universe assimilanda.

Sequentes in hac provincia inveniuntur fontes soterii:

I. Frigidi.

1. *Vabila* (2) IV mill. a *Salamanca.*
2. Fons mill. dimidio ab urbe *Amusco.*
3. *Cano de Sant-Jago del Val* (3) prope *Aguilar del Campo* I. mill. ab urbe *Astadillo.*
4. *Buron.* Aqua nigricans odore pulveri pyrio similis.

II. Calidi.

1. Prope vicum *Almeida* VII. mill. a *Zamora.* Hujus aquae sulphurosae potantur.
2. *Ledesma* (4) prope *Salamanca.* Ubi balnea et lutoria inveniuntur et aquae potantur.

---

(1) Mauri hoc nomen mutarunt in *Medinato Zamorati* [*ville des turquoises*].

(2) De hoc scripsit DON DIEGO DE TORRES. cit. DE LA BORDE, l. l. V p. 484.

(3) De hoc scripsit DON JOSEF DE LA PLAZA. cit. DE LA BORDE, ibid.

(4) Etiam de hoc scripsit DON DIEGO DE TORRES. cit. DE LA BORDE, l. l. 489.

3. *La Calde de Bonar* prope *Bonar* VI mill. ab urbe *Leon*. Vix ab aqua communi differt.

Estremadura. Coelum admodum mutabile, interdum aestus ingens vel medio Januario, sin autem Septentrio flat, frigus illico insigne vel media aestate oboritur. Rarius aliquamdiu eadem tempestas continua, saepius unico die varii caloris gradus observantur. Aër tamen purus ac siccus. Doct. JOSEPHUS ALSINET (1) nomen huic provinciae potius ab hisce *extremis*, humanae naturae *duris*, venisse putat, quam a flumine *Duero*, olim forsan regionis limite; quae opinio subtilior quam verior, nam nomen repetendum a consuetudine, qua Hispani reges, bellum adversus Mauros gerentes, olim vocarunt *Extrema* terras, quas flumen finitimum transgressi, infidelibus eripuerant; sic Alphonsus Magnus regionem *Entre Minho y Duero* [provinciam interamnem] dixit *Extrema Minii*, et Reges Legionenses terras trans *Duero* fluvium *Extrema Durii* (2), quod mutarunt in *Estremadura*.

Hujus provinciae aquae medicatae sunt:

I. Frigidae.

1. *La fuente de Cheles* IX mill. a *Talavera la Real.*
2. *La f. del Carrasco* prope vicum *Almoharrin.*
3. *La f. de las Aguzaderas* prope *Zafra.*
4. *La f. de Bernardo Estevan* prope urbem *Barcarotta* VII mill. a *Badajoz.* Martialis.

II. Thermae.

1. Prope *Alango* III mill. a *Merida.* Ibi Romano-

(1) THIERRY, l. l. II. 4. et secundum hunc FINKE, l. l. III. 25.
(2) Cf. Hedendaagsche historie van Spanje en Portugal 1759. Amsterdam bij TIRION, pag. 605.

rum tempore balnea aderant celebria, nunc jamdudum deleta.

Hujus planitiei editae modo descriptae incolae, et animi et corporis dotibus, valde a ceteris Hispanis recedunt, et regionis adspectum tristem, aridum repraesentant, praesertim qui utramque Castiliam incolunt. Formam principalem in illos offendimus, optimam comparationis normam, in ceteris duabus provinciis jam magis ab illa recedentem, quippe ubi facilior congressus cum finitimis regionibus.

De singulis breviter videamus.

Provinciae *Castilia la Vieja* incolae tristes, taciturni, superbi, tardi, sed moribus simplicibus, veridici, omnibus pauperiores pertinacissime miseram sortem emendare recusant. In provincia *Burgos* [Braum seu Bravim? Ptol.] magis ad formam principalem Biscayensium accedunt.

Qui *Castilia la Nueva* colunt austeri, minus propositi tenaces, probi mendacium oderunt. Judicium iis bonum, prudens et visiones volubiles intimis penetralibus potius absconditae quam signis externis expressae. Utrique animi motus ad finem usque occultant, numquam facies immobilis laeti animi speculum, tantum oculi nigri igne splendent.

Estremadura incolas magis adhuc inertes ac laboris impatientes alit. Nulli apud eos ludi, eadem norma fastidiosa totam regit vitam, peregrinos oderunt et vix ullus vel inter nobiliores convictus datur, sed sinceri, probi, honesti, in re suscipienda segnes, in perficienda vero firmi et pertinacissimi.

Legionenses in genere minus austeri et taciturni.

Omnes sunt staturae mediae, imo parvae, fibrae stric-

tae, systematis muscularis, ferme dicerem tendinosi, egregie evoluti, justae membrorum proportionis. Feminae parvae, artuum forma eleganti ac inprimis pedibus manibusque minutis excellentes. Cutis color fusco-brunneus inprimis faciei, oculi nigri ut et capilli; temperamentum cholericum communius. Hispanorum sobrietas in proverbium abiit, quam laudem inprimis merentur partis mediae incolae; variae autem causae conducunt ad peculiarem hanc virtutem, in fastis hygiaenae publicae celebrem. In regionibus tropicis videmus victum prorsus vegetabilem, alimenta amylo-saccharina, manihot, arracacham, oryzam, culmos sacchari, fructus partim succo plenos vel etiam liquore lacteo uti cocos, partim etiam siccíores, parenchymate magis amylaceo. His junguntur magnus numerus aromatum ex regno vegetabili, piper, caryophylli, pimentum, quibus organa ipsa digestionis, blandioribus alimentis et calore relaxata, idonee incitantur. Observatu dignum est, utrumque genus ex naturae lege ibi crescere; homines vero culturâ naturalem hanc partitionem inverterunt et maxime patriam vegetabilium cibariorum propagaverunt. Neque alioqui coelum mutantes, in genere victum ac diaetam mutant, potiusque suam propriam servant, attamen naturam sequi indicantem tutissimam esse regulam, docent Europaeorum, in aliis mundi partibus degentium, morbi, major quam inter indigenos mortalitas, vitaeque stadium vulgo brevius. Polum versus tendentes paulatimque reperimus cerealia, quae in tropicis fruges non ferunt, sed insignem tantum frondem emittunt. In his praeter amylum gluten continetur, quodammodo ad carnem animalem accedens. Ultra gradum 30° L. B. victus animalis incipit, statim parva quidem copia, dominantibus adhuc vegetabilibus,

quorum usus tamen magis magisque imminuitur, ita ut 60°—70° solus fere animalis victus accommodatus videatur, dum altius versus polum ipsa caro mammalium tosta prorsus videatur insulsa et piscibus utantur incolae semiputridis (1). In Hispania meridionali et media olera, cerealia, leguminosa, fructus, castanei, glandes quercus maxima victus pars sunt. Animalem non prorsus excludunt, nam caro praecipuum est in ferculo isto populari quem vocant *olla podrida* (2) [ollam putridam]. Succolata omnes ferme quotidie semel utuntur jentaculi loco, alii insuper ad prandium et post coenam.

Vidimus igitur calorem sponte ducere ad sobrietatem, sed praeterea alia est causa mediae planitiei editae propria. Aër siccus, purus, pervadens ex omnibus rebus vapores aqueos elicit, compositionem strictiorem reddit et ut fibram firmat ac contrahit, sic etiam alimentorum vim nutrientem adauget. Sic explicandum quomodo non solum unum quotidie ovum multis sufficiat, sed

---

(1) Secundum observationem nauarchi ROSS in itinere suo ad polum borealem.

(2) Hujus cibi diversissimis constantis cibariis, hic est parandi modus: caro bubula, ovilla, suilla, juvencorum et quae comparari potest venatio, leni igne concoquuntur, admixtis cepis, allio, ervis, solano melongena et lycopersico, pipere hispanico [*Capsicum annuum* L.] et multis herbis dulcibus aromaticis, salvia, majorana, mentha. Ut nihil desit, diversa haec eo tempore coqui debentur, quo ad finem usque totius conditionis saporem et juscula servare possunt. Non est quod moneam, pro cujusque rebus, condiendi modum differre, atque apud pauperiores saepius esse simplicissimum. HENNEN I. infra l. p. 79.

etiam quod reperti sint quatuor homines, quibus unum ovum ad prandium sufficiebat, paucis additis ficis (1). Talis sobrietas prorsus absurda esset et humano corpori valde perniciosa, nisi partes nutrientes magis compactae essent, quam vulgo fieri solet.

Ebrietas summo est dedecori, numquam Hispanum ebrium offenderes, nisi in urbibus maritimis in infima plebe. In parte media plerumque bibunt aquam puram, quae ubique fere ibi optima est, etiam vino illam admiscent, rarius enim utuntur mero, aliis potibus inebriantibus nunquam.

Aedes differunt quae in urbibus et quae rure exstructae sunt, neque minus opibus et dignitate inhabitantium. Propter ligni inopiam fere omnes lapideae, qui mos jam in Pyrenaeis incipit, uti supra vidimus. Ligneae praeterea huic regioni minus accommadatae essent, propter calorem aestivum et frigus hibernum. Amplae fere omnes sunt, porticu cinctae, in qua viri maximam diei partem degunt et vespere foeminae etiam obambulant, vel saepius tranquille residentes coeli gaudent amoenitate, post meridianos ardores refrigerati. Fenestrae saepius vitro destitutae, cujus loco veniunt hedera, vites, aliaeque plantae scandentes.

Vestitus pars, quam praetermittere non licet, est chlamys, quam nec in aprico, nec in umbra deponunt.

(1) Finke l. l. I. 16 secundum bourgoing, *neue Reise durch Spanien. Jena*, 1790, narratiunculam satis facetam refert: » der Guardian eines Klosters wunderte sich daher nicht wenig » über die Gefrässigkeit eines teutschen Mönchs, der von ei- » nem ganzen Eye und einer ganzen gebratenen Zwiebel nicht » gesättigt werden konnte, under rief daher voll Erstaunens » und Unwillens dem Koche zu: er solle dem Teutschen nur » noch ein Ey bringen, weil er sich doch todt fressen wolle.''

In regionibus calidis potissimum utuntur vestimentis laxioribus, in frigidioribus arctis, in quibus quippe chlamydes potius tegumenta insuper induta, quam vestimentum necessarium. In regionibus Orientalibus, in Africa septentrionali, universus vestitus laxus. In Europa australi jam angustior fit (v. c. braccae), sed chlamydis usus generalis, inprimis in Hispania, insulis Balearibus, *Malta*, Sicilia, Italia inferiore, dum in superiore et Gallia meridionali non ita frequens occurrit, et per totam Europam illustriori loco nati ac lautius educati, jam magis magisque ad eandem vestitus formam accedunt.

Morbi endemii. Ex coeli regionisque descriptione suspicari potuimus, morbos inflammatorios frequentiores esse in planitie Hispaniae mediae, et ulterior disquisitio egregie hanc conjecturam probabit. In *Estremadura* atque in utraque Castilia hunc praesertim characterem in morbis primum obtinere locum vidimus, sic in urbe *Madrid* pleuritides et peripneumoniae admodum vulgares, decursum celeriorem habent quam in regionibus vicinis. Facile inflammationes ibi in gangraenam transeunt. Characteri inflammatorio saepe jungitur catarrhalis, facile ex crebra et subitanea coeli temperiei mutatione explicandus.

Febres potissimum utrumque characterem adsumunt, catarrhalem nempe et inflammatorium. Typus intermittens frequentior est quam remittens, inprimis in provincia *la Mancha;* aestate quaedam biliosae observantur, adynamicae rarius, atacticae numquam ferme; crises bene discretae, vehementes quidem sed cito absolutae. Putridae crebo in provincia *Leon* ex FINKII (1)

(1) l. l. III p. 25

sententia observarentur, qua de re valde dubitarem, quum regio alta sit ac montosa, aër purus et siccus, neque calor aestivus ita insignis atque in Castilia utraque. Praeterea apud nullum alium auctorem hanc sententiam confirmatam inveni.

Inter morbos chronicos praecipuum locum obtinet phthisis pulmonalis, quae quotannis magnam hominum stragem facit. Tuberculosa et ulcerosa saepius observatur, uti ex aëris temperie facile potest explicari. Pituitosa hîc rarior est, quique ex aliis regionibus hac laborant aegri, melius in illa sese habent. Morbum autem vulgo contagiosum habent, quare quae ad vitâ defunctum pertinent res statim post mortem omnes comburuntur. Haec opinio generatim per totam Europam australem recepta, neque tantum vulgi sed multorum etiam artis peritorum invaluit, quamvis alii, inprimis Itali, summopere nitantur ut praejudicatam hanc opinionem deleant.

Morbi viscerum abdominalium habentur communes, ex aëris enim temperie et hominum naturâ, inflammationes illorum organorum facile oriuntur, inprimis hepatitis, has autem comitantur affectiones hypochondriacae et obstructiones viscerum dictorum. In ipsa urbe *Madrid* privus et proprius hujus generis morbus exstat endemius, quem vocant *Entrepado* seu *Colicam Madritensem*, dignus sine dubio qui fusius tractetur.

Entrepado, el colico de Madrid. Colica madritensis (1).

Post alvi tarditatem oritur dolor obtusus in hypochondriis, praesertim dextro, flatibus et doloribus in

(1) Cf. THIERRY l. l. I. 72 sqq. FINKE l. l. III. 22 sq. WILLAUME l. l. p. 67 sqq. LUZURIAGA, Dissertacion medica sobre el

abdomine conjunctus. In scrobiculo cordis ponderis sensus, ructus et ad vomitum propensio. Facies flavescit, oculi splendorem amittunt, flavoque colore tinguntur, linguae pars posterior muco flavo tegitur. Sapor est in ore amarus, somnus languidus, inquietus. Vulgo haec symptomata 24 horas durant, interdum etiam 2—3 dies. Elapso hoc tempore, dolores in visceribus exacerbantur et interdum adeo atroces fiunt, ut aegri magno sub ejulatu in lectis convulsive se torqueant. Atrocissimi illi dolores apud alios oriuntur nullo praegresso indicio. Nunc sensim ad vomendum propensio adaugetur, dolores per regionem umbilicalem ad epigastricam et scrobiculum cordis adscendunt; dein vomitus ipse sequitur, primo saburralis, tum biliosus. Bilis ejecta variae spissitudinis perquam amara. Anxietas, qua aeger cruciabatur, post vomitum cedit, hanc vero excipit tensio artuum dolore plena et horripilatio irregularis. Saepe sudores sequuntur haec ultima symptomata fugantes. Alvi obstructio augetur, quo diutius vomitus durat, abdomen contrahitur spinam versus dorsi, id quod tactum vix sentit. Dolores hypochondria et lumbos nunc rarius occupant, sed potius regionem umbilicalem, lineam albam secuti. Urina, quae initio turbida erat, crassa et parca, flavescit vel lateritia fit. Vomitus breve tantum levamen affert, miseros mox, doloribus nunquam remittentibus, de novo cruciatos

---

colico de Madrid (cit. WILLAUME; librum non vidi). LARREY, Mémoires de chirurgie militaire. Paris, 1812. III. p. 170 sqq. hujusque excerptum in diario *Algemeine Medizinische Annalen* 1813 p. 59. Recherches sur les causes de la colique de Madrid par ALEX. F. AULAGNIER, Madrid, 1811. (Librum non vidi.)

fugit somnus; moeror et tristitia summa, animique dejectionem sequitur virium lapsus insignis. Pulsus vero naturalem rhythmum servat (1), tantum sub vomitu subnervosus fit. Dolorum horrendorum atrocitas ejulatus ferinos provocat, quos gemitus altus aut silentium tristissimum insequitur.

Si aegrum naturae viribus reliqueris, vel balneis usus fueris et remediis purgantibus antispasmodicis anodynis, eccoproticis, haec symptomata augeri et conjungi cum febre solent intermittente biliosa vel rheumatica, prouti epidemica et ipsius aegri fert constitutio. Intermittens biliosa rarius accedit, tantumque in sanguineis et irritabilibus. Abdomen turgens tum attactu dolet, urina parcior vel etiam prorsus suppressa; febris accenditur sub aestu urente in abdomine, cute sicco ardente, doloribus colicis remittentibus. Vomitus continuatur, materies demum fit sanguinolenta, sphincteres relaxantur et diarrhoea colliquativa tragoediam absolvit. Sin contra febris intermittens rheumaticae est indolis, dolor in artubus figitur tumidis et immobilibus. Rheumatismus nunc solita sua percurrit stadia, exitusque saepius est felix. In quibusdam febris erat nervosa lenta vel etiam putrida.

Autopsia nulla enteritidis signa ostendit. Vasa meseraïca sanguine turgebant nigro fluido, intestina materiâ nigrâ erant repleta, ac turgida, membranae mucosae inflammatae nulla signa, ventriculus expansus a variis gaz et fluidis, secundum naturam eorum quae ultima sumserit aeger. In S coli faeces caprinae quasi. Hepar tumidum, vesicula fellea bile fusco-viridi plena.

---

(1) Larrey l. l.

Interdum, quamvis rarius, haec colica sponte curatur; faustum omen erit, seu naturae viribus aegro relicto, seu congruis adhibitis remediis, si dolores e regione umbilicali inguina versus descendunt. Vomitus tum sensim remittit, urina largior fluit minusque colorata. Sedes sequuntur primo quidem sub doloribus fabaceae, foetidae, muco flavo tectae. Hisce excretionibus aeger perquam levatus peculiarem illum sensum gratum percipit, primum sanitatis recuperandae praegressum indicium. Somnus quietus defatigati vires in integrum restituit, sensim sensimque pristinam valetudinem recuperat aeger. Interdum, licet rarius, hoc stadium satis longum percurritur. Apud multos colica, nullo relicto symptomate, disparuit post eruptionem exanthematis miliaris in abdomine, tractu renali, femoribus, aut post inflammationem erysipelaceam in hisce partibus et extremitatibus.

Prognosis vulgo fausta est, nisi accedat febris intermittens biliosa vel continua remittens, nervosa vel putrida, cujus symptomata supra descripsimus.

Si ad curam respiciamus, initio totius systematis digestivi compescenda irritatio antispasmodicis et anodynis; cutis functio in integrum restituenda diaphoreticis. Clysmata ex pulpa cassiae cum camphora, frictiones camphorato-oleosae in abdomine. Inprimis est commendanda quies et diaeta, in cubiculo sit calor humidus, quem optime vapores aquae ebullientis elicient.

In altero stadio propinentur emetica, ut saburra biliosa gastrica, ipsius vomitus causa, ejiciatur; cavendum ne nimis systema nervosum irritetur, ad quam finem Ipecacuanha laudes meretur. Post crebriores vomitus, alvus movenda clysmatibus camphoratis.

In tertio demum stadio, si sedes fuerint secutae, eadem indicatione pergendum purgantibus tonicis, quae decoctum Corticis excipiet.

Medicorum Hispanorum multi venaesectionibus, frictionibus mercurialibus, variisque mercurii praeparatis, hydrogenio carbonato, balneis, narcoticis usi fuerunt, quae tamen ex observationibus Docti. LARREY minus commendanda videntur.

Morbum sanatum saepe febris intermittens insequitur cortice peruviano avertanda.

THIERRY jam probavit intoxicationem saturninam ex usu v. c. ciborum in vasis aeneis coctorum, nullomodo morbi causam esse; observavit enim nonnullos casus, in quibus revera haec intoxicatio locum habuit, tumque magnam vidit symptomatum differentiam, praesertim dolorem non in regione umbilicali sed in hypochondriis haerentem. Ejusdem sententiae est LARREY, qui potius urbis situm altum, aërem purum, siccum, penetrantem incusat. Differentia coeli temperiei diurnae et nocturnae hîc etiam haud parvi momenti videtur, neque usus vinorum dulcium omittendus est. Ex juvantibus et nocentibus, aëris siccitatem primariam esse causam ferme statuere audemus; namque humidus ac simul calidus aër, uti supra vidimus, admodum prodest. Vera tamen causa ad hoc usque tempus latet, peculiaris, urbi *Madrid* soli propria esse videtur, quia morbus tantum hac in urbe atque in vicinis regionibus, haud longe intervallo dissitis, observatur. In locis *Aranjuez* et *Escorial* vix reperitur semperque mitior; in urbe *Toledo* observatur nunquam. THIERRY in itinere suo dispositionem ac propensionem ad hunc morbum invenit ad fines usque septentrionales planitiei Castellensis, ubi mons *Pennalara*

non amplius cerni potest. Peregrini eo potissimum afficiuntur, quod repetendum ex nocivorum majori in illos quam in incolas efficacitate, usu immodico vini, justo majore ciborum copia, incauta post diurnos ardores vespertino et nocturno frigori expositione.

In loco *Aranjuez* diarrhoea satis frequens est, inprimis aestate, quod partim tribuendum suppressioni perspirationis cutaneae refrigerio natae, cui hîc prae aliis locis homo est obnoxius. Est enim haecce regio hortis amoenissimis, pluribus fontibus et lucis umbrosis insignis, véra in arido deserto *oäsis*. Regis et aulicorum praesentiâ aestate locus celebris, inde inprimis inter peregrinos viguit mos, vespere gratam in umbra quaerere virium refectionem. In hisce locis cutis caloris gradum subito saepe mutatum ferre nequit. Perspiratio cutanea inde impeditur, intestinalis vero augetur et diarrhoea oritur. Ab altera parte aquae ibi continent principia neutro-salina, quae supra memoratorum efficacitatem adjuvant atque augent.

Morbus verminosus rarus admodum exstat in *Castilia*, semel tantum THIERRY taeniam solium observavit. Aër penetrans ac siccus fibram adstringit tonumque praebet organis, dum calore omnia, quae intus suscipiuntur, partibus aquosis fatuis liberantur. Neque usus aromatum, organa digestionis stimulantium, entozoörum genesi favet. Exceptionem tamen facit *Almaden* ad limites provinciae *la Mancha*, ubi vermes inter certam incolarum partem endemii. Fusius mox de hoc loco, non unico titulo nostra attentione digno, agendum esse videtur.

Morbi cutanei rariores quam in Franco-Gallia occurrunt, est enim cutis hîc firmior strictior et perspiratio

uberior. Tela cellularis et ipsa cutis est tam densa ut rimae in facie vix observentur. Scabies est praeterea rarissima. In provincia *la Mancha* furunculus et anthrax seu pustula maligna communes (1).

In Castilia utraque morbus calculosus vix est cognitus; cum universe in regionibus calidioribus multo minus sit communis, quam in temperatis, diu creditum est, omnino non observari in tropicis, patet tamen contrarium ex observationibus Doct. CAMPBELL (2). In *Estremadura* cum aliis systematis uropoietici morbis frequens.

Ad limites provinciarum *Estremadura* et la *Mancha* jacet *Almaden*, veterum Sisapona, a Romanorum inde tempore fodinis mercurialibus insignis (3). Opificum vitae terminus ibi vulgo est 60 annorum, rarius quisquam 70 attingit. Morbi frequentiores sunt viscerum thoracicorum inflammationes, pleuritides, peripneumoniae, haemoptyses, asthma spasmodicum, tussis. De JUSSIEU sagacem distinctionem facit inter opifices liberos et servos in triremibus (*forzados*, *galeiboeven*). Illi

---

(1) WILLAUME l. l. p. 73. secundum medicum Hispanum DON FRANCISCO DE SILVA Y OLIVERA.

(2) Transactions of the medical and physical society of Calcutta V. 437 et Allg. Liter. Zeitung. Mai, 1836. n°. 84 p. 36.

(3) Cf. WILLAUME l. l. 74. THIERRY l. l. II. 19 sqq. FINKE l. l. III. 27. sqq. F. LE PLAY l. l. 29 sqq. Observations sur ce qui se pratique aux mines d'Almaden en Espagne pour en tirer le Mercure et sur le caractère des maladies de ceux qui y travaillent par M. DE JUSSIEU. Mém. de l'Acad. royale des sc. de Paris an 1719 p. 349, avec une vue des fourneaux où se fait la séparation du Mercure pl. 23. (cit. THIERRY sed forte fortuna jam antea locum inveneram) DE LA BORDE l. l. III. 366 sqq. et V 447. DON JUAN ALVAREZ DE COLMENAR l. l. III. 444.

enim plerumque bene valent, eorumque vitae diuturnitas est eadem ferme atque aliorum hominum. Hi contra laborant tumore parotidum, aphthis, salivatione et pustulis totum corpus tegentibus. Post aliquot annos ab iis tremores nervosi intermittentes, nunc minus nunc magis sentiuntur, prouti animi motus inprimis metus et pavor sunt majores. Non equidem, uti THIERRY statuit, aër particulis mercurialibus gravis pulmones intrat, sed potius per poros cutis e vestimentis multo mercurio inquinatis. Liberi opifices simulac fodinas reliquerunt vestitum mutant, quod miseris servis non licet, qui semper ibi manent, neque quidquam praeter unicum vestitum possident. Summa deinde immundities, perpetua paupertatis comes, accedit; saepius enim panem edunt illotis manibus. Particulas istas subtiles nocivas non exsistere, vel saltem noxium effectum non habere, probat DE JUSSIEU agrorum supra fodinas fertilitate, et aquarum ex ipsis montibus ortarum salubritate. Neque fumus quidquam damni arboribus vicinis affert vel alio quodam modo incolis nocendi vim declarat, cum aër in hisce fodinis non insalubrior sit quam in aliis.

Mercurium revera corpus intrare probat et morborum cum illis, ex abusu mercurii ortis, analogia et ipsius metalli in foecibus (1) ossibusque (2) praesentia. DE JUSSIEU

---

(1) THIERRY l. l. p. 31. FINKE locum mutavit dicens: » *denn* » *sehr oft sieht man bei diese Leute die Excremente mit* » *diesem Metall übersilbert.*" Auctor AREDALO tantum de parvis globulis loquitur et testatur se frustra saepe in cadaveribus metallum quaesivisse.

(2) Ossa vetusta e sepulcris desumta mercurii globulos continebant. AMBROSIO DE MORALES, *las Antiguedades de las ciudades de Espana. En Alcala de Henarez* 1575, f°. p. 48 *dextro* (Cit. Doct. AREDALO apud THIERRY et apud WILLAUME.)

etiam tremores nervosos repetit a vasis cerebralibus ponderc particularum mercurialium varicosis factis.

Praeter illos, quos supra recensuimus, morbos, inter homines infimae istius plebis syphilis admodum est vulgaris, sed saepius mitioris indolis, et secundum DE JUSSIEU exempla curationis spontaneae inter servos exstant. Inprimis autem morbus verminosus frequens reperitur, quod ad virtutem anthelminticam mercurii respicientes vix credere possimus. Doct. AREBALO rem ita affirmat (1), ut de fide ejus dubitare non liceat. Constat praeterea diaetam perquam insalubrem, victum crudum, panem pejoris notae et farinosa egregie morbo homines reddere obnoxios. Organismus animalis demum assuescit stimulis praeternaturalibus, naturalibus non item, inde etiam effectus salutares in syphilidem et morbum verminosum consuetudine delentur. Cur tamen morbi exinde mercuriales oriuntur? Remediorum efficaciorum, nimia dosi assumptorum, effectus erit vel nullus vel noxius admodum, dum salutares a congrua pendent portione. Ne autem quis credat opifices ibi et affectionibus mercurialibus et verminosis simul laborare, tametsi nonnunquam hoc fieri possit, minime est hic effectus necessarius. Minus etiam WILLAUMII sententia probanda videtur, qui ex morbi verminosi in loco descripto frequentia, argumentum desumpsit contra vim mercurii anthelminthicam (2).

Ex febrium genere intermittentes ibi primum obtinent locum, et syncopales, quas *Minutas* vocant.

---

(1) Apud THIERRY l. l. p. 31.

(2) WILLAUME l. l. p. 74 »*raison des plus fortes contre la* »*qualité anthelmintique attribuée encore aujourd'hui par* »*quelques médecins au mercure.*"

Absolvimus itaque partem Hispaniae mediam, nucleum peninsulae editissimum; levioribus exceptis, singula quaeque provinciae hujus propria, maximam partem satis inter se conveniunt. In omnibus morbi acuti inflammatorii, catarrhales et febres prae ceteris eminent. In siccissima parte (*Madrid* cum agro circumjacente) morbi abdominales, diarrhoea et colica vigent; in humidissima (*la Mancha*) febres intermittentes; ubi vero tempestas est maxime inconstans, (*Estramadura*) morbi systematis uropoietici celebres occurrunt. Ab iis, quae ab his efficienda videantur huc usque abstineam, et potius reliquas partes, septentrionalem scilicet et meridionalem, prius absolvamus, ut plura, quae ad eorum comparationem recte instituendam requiruntur, colligamus.

Hispania septentrionalis.

Hoc titulo complectemur radices meridionales Pyrenaeorum, nempe provincias quae dicuntur *Asturia*, *Vizcaya*, *Navarra*, et partem septentrionalem Catalauniae et Arragoniae.

Quamvis autem jugo altissimo a Franco-Gallia separetur, lenior tamen datur transitus inter illam regionem et Hispaniae partem septentrionalem, quam inter hanc et mediam, vel potius characteres adsunt certiores, quibus distinguatur centrum illud editum a septentrionali, dum haec partim saltem plus minusve cum adjacente Franco-Gallia congruit. Inprimis vegetatio convenit, eadem ferme flora ab Italia superiori littorali, juxta mare mediterraneum, per regiones *Provence* et *Languedoc* usque in *Cataluña* extenditur. Ab altera parte major etiam convenientia observatur, non solum quod ad quasvis res quae ibi

nascuntur attinet, sed etiam inter populos ipsos. Provinciae *Vizcaya*, *Quipuscoa* et *Alava* faciunt ita dictum *Vascongados* et Franco-Galliae pars Pyrenaeis occidentalibus adjacens, *le pays des Basques*, unde etiam nomen provinciae *Gascogne* desumtum. Sed jam de ipsis provinciis, quas supra ad Hispaniam septentrionalem retulimus, quid observandum sit, videamus.

Cataluña. Regio montuosa quam Pyrenaeorum multi rami secundarii secant. Continet etiam multas regiones planas et valles extensos. Naturâ minus fertilis est, sed incolae hujus regionis totius Hispaniae cum sint diligentissimi, omni modo ingratum solum emendare conantur. Nulla est provincia, in qua tam pauca inculta manent, vel rupes steriles magno demum labore et mirâ patientiâ ad culturam aptae redduntur. Inprimis irrigationi summam curam impendunt, qua fluviorum rivorumque aquae aequaliter per magnam agri partem distribuuntur. Oleis praesertim *Cataluña* abundat aliisque arboribus fructiferis, uti amygdalis, corylis, ficis, malis, juglandibus, castaneis. Cerealia plurima coluntur, littus meridionale, ager *Leridanus* [*Ilerda*] et *Ampurdanus* [*l'Ampourdan*] abundant tritico, montes et valles quaedam secali aliisque. Attamen, minus profert terra quam quantum ab incolis consumitur; frumenti igitur ex aliis regionibus (Arragonia, Italia, Africa, Franco-Gallia) magna copia quotannis affertur. Pars orientalis vitibus scatet vinum generosum praebentibus; quod autem in septentrionali et occidentali invenitur vilioris est pretii. Quibusdam in locis oryza colitur, inprimis in agro *Ampurdano*, sensim haec cultura imminuitur propter insalubritatis famam. Linum et cannabis praesertim in agro *Leridano* coluntur. *Rubia tinc-*

torum ultimis hisce temporibus tantum; et quamvis morus egregie vegetetur, bombycum cultus est tamen minor quam in aliis Hispaniae provinciis.

Maximam curam conferunt in arbores sylvestres; apud eos fagus, ulmus, populus, salix, pinus, *quercus robur* et *ilex*, arbutus et myrtus in variis provinciae partibus abunde nascuntur. *Quercus suber* tantâ copiâ invenitur ut tota fere Europa suber inde petat.

Pecus non est ita frequens, quantum e summa agriculturae praestantia facile quis conjiciat. Neque etiam necessariam lanae copiam ipsa provincia praebet, sed magna, qua in officinis [*fabrijken*] opus est, quantitas ex Arragonia petitur.

Fontes medicati in hac provincia inveniuntur:

I. Frigidi.

1°. *Monistrol*, ad radicem *Monserrat.*
2°. *Gironne* [Gerunda], ad exitum ostii Galliae [*au sortir de la porte de France*], gazosus.
3°. *Val de Iebron*, I mill. a *Barcelona.*
4°. *Sant-Hilario*, gazosus.
5°. *Rivas*, XV mill. a *Barcelona*, gazosus.
6°. *Tortosa* [Dertosa], ferruginosi et gazosi (1).

II. Thermae.

1°. *Taull*, in ditione *Talaru.*
2°. *Garriga*, in ditione *Mataro.*

---

(1) Don christobal thomas horum analysin dedit in diario *Journal de Barcelone* Juin 1801. [Cit. de la Borde.]

3°. *Torrello*, XI mill. a *Barcelona.*

4°. *Caldas*, in valle Arax. Sulphurosae.

5°. *Caldas de Malavilla.*

6°. *Caldetas*, prope urbem *Mataro.*

Aqua satis simplex. His tribus superioribus balneis utuntur.

7°. *La fuente de la Puda*, prope *Esparraguera* ad radicem *Monserrat*, sulphurosa.

8°. *La fuente de la Puda*, prope *Olesa* a praecedente rivo discretus ejusdem naturae.

9°. *Esplaga*, prope monasterium *Poblet.*

10°. *Caldas de Monbuy* (1), in foro, fons calidissimus, aquis uberrimus, variis canalibus in multis aedibus privatis ducitur, ubi balnea erecta.

Incolae. Est regio egregie culta, maxima incolarum laus. Sunt enim ad labores prompti, patientes, indefessi. Avide quidem lucrum quaerunt, et facile solum coelumque mutant, si in patria res minus prospere succedunt. Libertatis amantes jura seu ita dicta privilegia tenaciter defendunt et levissima de causa arma contra summum inperantem capiunt. Inde a Castellensibus dicuntur *Catalanos rebeldes.* Maximum inter utriusque provinciae incolas odium exstat. In bello sunt strenui, virtus saepe ad temeritatem accedit, nulla pericula fugiunt. Propositi admodum tenacibus voluntas est illis omni difficultate major, summaque illorum in odio et amore perseverantia.

---

(1) Alibert l. l. p. 597 probabiliter de his loquitur, quum ibi dicuntur *Caldas*, nulla insuper addita situs definitione, facilis oritur error.

Minus quidem sobrii sunt, quam Castellenses; victus idem fere, nisi in littorali parte ubi piscium multiplex usus est. Vestitus differt: non enim utuntur chlamyde, consuetudinem Franco-Gallicam potius sequuntur. Linguam habent peculiarem ab hispanico sermone prorsus diversam; est proprie antiquata lingua Galliae australis, *langue limosine* dicta, purior in montibus, variis autem vocibus et loquendi modis ab hispanico sermone mutuatis corrupta regnat in urbibus. Eadem adhuc utuntur in *Languedoc*, *Provence* et *Gascogne* (1). Cum incolarum indole congruus sermo durus et ingratus est.

Coelum illis est ut plurimum amoenum, venti septentrionales enim Pyrenaeis avertuntur, dum Eurus et Vulturnus libere regionem adeunt. Marinis praeterea aestus minuitur.

Urbs *Tarragona* [Tarrago] coelo gaudet sereno pulcherrimo, aëre temperato propius tamen ad calidum accedente.

Barcelona [Barcino]. Olim hujus urbis coeli temperies prorsus diversa fuit ab hodierna, pluviae tunc rariores, tempestas constans, firma; nunc autem humiditas summa, pluviae frequentissimae omni fere anni tempore. Tempestas admodum variabilis, intra unius diei spatium saepius caloris et frigoris extrema sentiuntur.

Ventus Solanus ibi dominatur, quem vocant *Levante*, semper nebulas et humiditatem secum ferens. Eurus et Africus hanc simul calidam reddunt, unde ingra-

(1) Galliae australis incolae provinciam Mauris e ripuere, hinc differentia linguae, morum, aliorum explicanda. DE LA BORDE l. l. I 137.

tior etiam fit et insalubrior. Septentrio incolis est utilis, quia nubes et nebulas dispergit et aërem atmosphaericum quasi renovat, rarius autem effectus salutares edere potest, montibus enim ab urbe arcetur. Ver hic est totius anni tempus ingratissimum; calor, frigus, pluvia, procellae continue se invicem excipiunt. Aestas calida, summi ardores vix ultra duas vel tres dierum hebdomades durant, temperatur vento Euro, unde saepe transitus subito fit in frigus. Interdiu, praesertim meridie, sub solis radiis, humiditas non sentitur, vespere autem ad solis occasum penetrat corpus et ingratum excitat sensum. Autumnus olim fuit anni tempus pulcherrimum, coelo sereno, diebus multis halcyoneis, at aliquot ab hinc annis imbres et procellae fuerunt frequentes. Hiems adeo mitis fuit ut multis annis mercurius in thermometro non ultra 6°—7° R. descenderit, nunc aliquando — 4° vel — 5° R. attingat. Affirmant incolae rarius olim nivem observatam fuisse, nunc vero singulis cadit annis; frigus est raro siccum, quod humiditas constans rigidius etiam reddit, interdum imbres continui ferme cadunt. Humiditatis causa probabilis est maris vicinia et Euri frequentia. Loci, ubi sita est urbs, natura ac forma multum ad illam confert; est enim pelvis instar seu vallis, montibus inclusa, Septentrionem versus et Caurum limes est rivus *Bexos*, Austrum versus fluvius *Llobregat*. Patet igitur Euro, Aquiloni et Africo.

Morbi endemii. In oris maritimis febres intermittentes per totum fere annum grassantur. Aestate characterem induunt biliosum et frequentiores observantur. Hydrops et icterus ibi valde communes sunt, ille sequitur saepe febres intermittentes. Pars interior est

multo salubrior, morbi inflammatorii ibi potissimum reperiuntur. *Barcelona* olim inter Hispaniae urbes saluberrimas referebatur; postquam autem aëris temperies tam graves subiit mutationes, hanc laudem non amplius meretur. Soli natura humida et frigida scorbuto incolas reddit obnoxios; id quod hiemali et verno tempore ibi admodum est vulgare. Aestate febres inflammatoriae, biliosae et, si tempestas accedit humida, putridae dominantur; autumno tempore et hieme potissimum catarrhales. Olim in urbe grassabatur dirissimus morbus, trismus infantum, qui magnam saepe stragem inter infantes recens natos fecit. Hyacinthus andreas hunc morbum primus descripsit: »In hac nostra urbe »Barchinonensi afflictantur plurimi infantes adeo feroci »convulsione mandibulae inferioris, ut, ea apprehensi, »nullo possint motu illam movere, et abhinc suctus lactis »impeditur omnino. Emergit hoc malum ex causa humi»ditatis regionis, et potissimum si matres praegnationis »tempore minus sobrie vixerint, et usae fuerint ali»mentis humidis et potibus gelidarum eximiis, et quam»vis istas duas inveniamus causas, adeo manifestas, ex»istimo tamen potius hanc cladem insolescere, ex pecu»liari coeli vel astrorum vi, quam ex illis duabus: nam »in plurimis aliis humidis regionibus, laute bibunt mu»lieres, et tamen non afflictantur infantes (ita testantur »medici) morbo isto duro, quemadmodum in hac nostra »civitate, in qua tot interficit mala ista convulsio, quot »variolae aut morbilli. Unde, si in toto terrarum orbe »premantur infantes unico tyranno, nempe variolis, in »hac quidem civitate duplici conflictantur scil. variolis »et convulsione mandibularum, quae a nostris mulier»culis et otstetricibus vocantur *barettas*, in quarum pe-

» riculum incurrunt recenter nati, usque ad nonum suae » nativitatis diem, eoque transacto, omne periculum » cessare docuit semper experientia" (1). Morbus vix ac ne vix quidem curari potest, in praxi enim 20 annorum auctor HYACINTHUS ANDREAS non ultra sex sanatos esse refert.

Arragon. Regio montuosa in parte septentrionali et meridionali, in media parte quam flumen Ebro perfluit, plana et fertilis est, sed male culta, qua in re valde ab affini *Cataluña* differt. Attamen omnes fere partes sibi sufficientem cerealium copiam proferunt, et hinc quotannis magnam in alias regiones, praesertim in *Cataluña*, mittunt. Olea in quibusdam tantum locis colitur, quamvis major provinciae pars egregie ad illius cultum apta sit. Vinum generosum ibi paratur. Linum, quod optime in multis arvis cresceret, ferme negligitur. Cannabis, propter faciliorem culturam, magis in usu est. Crocus hisce temporibus minus colitur, quam olim. Solummodo prope *Huesca* [Osca] amygdalus invenitur. Soda, olim etiam res summi pretii, nunc usu barilli excipitur. Morus et bombycum nuperrime tantum cultum

---

(1) Cf. HYACINTHUS ANDREAS, in Praxi medica Gotholanorum cit. Cleghorn l. infra l. p. 73 sq.

Hyacinthus Andreas seu Andreu natus est initio sec. XVII in urbe *Osdalric* regni *Cataluña*. Praxin medicam fecit in urbe *Barcelona*, artemque postea ibi docuit. Scripsit: Practicae Gotholanorum pro curandis corporis humani morbis, descriptae juxta medicinae rationalis leges, quas posteris commendatas reliquerunt lucidiora antiquitatis lumina Hippocrates et Galenus. Barcinone 1678. I f°. Cf. *Dictionn. historique de la médecine ancienne et moderne par* N. F. J. ELOY. *Mons 1778*, 4°.

introduxerunt. Pascua laeta magnam pecudis copiam alunt.

Fontes medicati in hac provincia non multi sunt numero, sed multi forsan exstant huc usque incogniti; nullius adhuc est instituta analysis.

I. Thermae (1).

1. *Quinto.*
2. *Benosque.*
3. Prope *Juseo* in monte *Arcos.*
4. Prope *Alquezar*, V mill. a *Barbastro.*
5. *Apies*, III mill. ab *Huesca.*
6. Prope *Billel*, IV mill. a *Teruel.*
7. *Paracuellos de Xilvea*, prope *Molina.*
8. *Tiermas* [Thermae], ad fines regni *Navarra.*
9. *Barranos del Salto*, prope *Calatyud.*
10. *Teruel.*
11. *Nuestra Señora de Arcos.*
12. *Alhama* [Artigis Julia]. In his tribus balnea inveniuntur.

Coelum inprimis ad Pyrenaeorum radicem cum frigidius sit, hiemali tempore montes nive teguntur, quae in quibusdam Pyrenaeorum locis per 3—9 menses manet.

Zaragoza (Salduba, Saldivivia *Phoenicibus*, Caesar-Augusta *Romanis*) ventis exposita Septentrioni et Austro, qui, si statis temporibus se invicem exciperent, urbem admodum salubrem redderent, nunc vero, ubi subito silente altero, alter flat, temperies coeli aeque varians inde fit atque in urbe *Madrid.* Pluviae sunt satis frequentes, qua ratione quam maxime a supra laudata differt. Coeli temperies autumnalis sic praevalet.

---

(1) Fontes soterios frigidos in catalogo non inveni.

Huesca, ubi aër purus et siccus coelumque serenum, altis in montibus sita est.

Incolae mixto quasi charactere insigniuntur ex Castellensi et Catalano; prudentes, serii, taciturni, patriam impense amant, eamque laudibus prae alias regionibus extollunt. Peregrinos rudi sed honesto et amico modo tractant. Virtute bellica eminent. Dotibus physicis potius cum Castellensibus conveniunt, a quibus tamen minori sobrietate differunt, victu ceteroquin peculiari non utuntur. Vestitus idem fere atque in *Castilia la Nueva*, chlamys, qua ferme non utebantur in *Cataluña*, hîc rursus invenitur.

Morbi Endemii. Doct. EMMANUEL LAY multa de morbis urbis *Zaragoza* cum Doct. THIERRY communicavit (1). Videtur autem in sua pathologia nimium fluminis *Ebro* tribuisse aquae, admixtis particulis terreis, quam homines obnoxios reddere credit ad morbos hepatis, renum, lienis, ad arthritidem, rheumatismum, dysenteriam, cholcram, obstructiones viscerum abdominalium et hernias. Ab unica causa multiplex revera derivatur effectus, sed mos erat hujus aevi medicorum magnam auctoritatem tribuere causis communibus tum manifestis, tum fictitiis. THIERRY ipse aquam exploravit bonaeque notae invenit; praeterea, si morbum renum excipias, in urbe *Madrid* plerumque iidem observantur morbi, ubi tamen aquae omnibus consentientibus sunt optimae. Inter morbos communes referendae videntur febres putridae, ex aëre humido simul ac calido, vitae ratione lauta, et sedentaria facile explicandae. Ab aëris in-

(1) Etiam librum: de Morbis Endemiis Augustae, auctore NIC. DE SAN JUAN Y DOMINIQUO. Augustae 1668.

constantia repetendi morbi catarrhales et rheumatismus. Inflammationes frequentiores observantur flante Septentrione. Febres syncopales occurrunt tam raro, ut Doct. EMMANUEL LAY per viginti quatuor annorum, quibus medicinam exercebat, tres tantum viderit casus, ephemera contra admodum frequens ibi obviam est, fortasse propter caloris gradum tam subito saepe cum vento mutatum, quo cutis functiones subito cessent. Haec ephemera non omni periculo caret, facilis in putridam est transitus, ex supra jam allatis causis, inprimis post usum nimium diaphoreticorum. Ex intermittentibus quartanus typus rarior, quotidianus nunquam observatus est (1). Diaetam, ut diximus, lautior, inprimis usus cupediarum saccharo conditarum vulgaris ut et aquae gelidae (2). Variae inde affectiones gastricae, inter quas, flatulentia primum occupat locum. In universum multo major aegrorum numerus est aestate humida quam sicca; contrarium in urbe *Madrid* observatum, ubi pluvia largior nunquam pravos in sanitatem incolarum edit effectus. In *Huesca* scabies et vermes vix cogniti, quod partim tribuendum videtur alimentis vinoque bono; magis etiam cum situi alto, tum äeri puro atque sicco.

Navarra. Pars hujus provinciae inter duo Pyrenaeorum juga secundaria sita est, pars ipsis hisce montibus occupatur; solum est fertilissimum flumine Ebro pluribusque minoribus bene irrigatum. Planities teguntur multis saxis lapidibusque montium detritu. Coelum frigidius quam in utraque Castilia non solum, sed etiam aliis provinciis de quibus egimus; satis tamen salubre.

(1) THIERRY l. l. II. p. 54.

(2) Usus aquae gelidae, nivis, glaciei per totam Europam australem frequens est, dein suo loco fusius hac de re agemus.

In quibusdam partibus [*cantons*] aër est amoenus, mitis, saluber; sic urbs *Tafalla* cum agro vicino laudibus extollitur; ferunt nempe illam nunquam epidemiam quamcunque passam. Pluviae admodum sunt regulares finem versus aestatis et tempore verno. In urbe *Pamplona* [Pompeiopoli] imbres frequentes cadunt et tempestas est minus constans. Montes leniore declivitate ibi conspiciuntur atque maximam partem lateribus denudatis. Haec tamen sylvis abundat regio, et genistae variae species, inprimis *spinosa*, magno ejus occupant tractus. Pascua inter illos lactissima sunt. Arva proferunt frumentum secale, hordeum, maïs; montium declivia et colles vinum oleumque.

Aquae medicatae in hac provincia sequentes distinguuntur:

I. Thermae (1).

1°. *Fitero*, VII mill. a *Tafalla*, ubi balnea; aquis etiam ad potum utuntur.

2°. *La fuente de Ysaba*, in valle *Roncal*, cujus aqua balneis et potui apta est.

3°. Fontes quidam prope vicum *Belasmain*, II mill. a *Pamplona*.

4°. Fons prope *Ariba*, in valle *Ayezcua*, ad limites Galliae.

5°. Fontes plures prope *Fierme* VI mill. a *Saca*, Balnea et lutoria ibi adsunt. Aquae ad bibendum sunt aptae.

Incolae staturae congruae, robusti, agiles; character meridionalis, capilli et oculi nigri, non ita frequentes jam observatur, inprimis in ita dicta *Navarre infe-*

(1) Frigidarum catalogum non inveni.

ferieure seu Franco-Gallica ubi oculi coerulei, capilli brunnei et passim flavi. Faciei color laetus, floridus ad habitum septentrionalem magis accedens. Sunt propositi tenaces, vehementes, feroces, sed strenui ac laboriosi ingenii; in multis rebus Gallo-Francis simillimi reperiuntur, summopere a Castellensibus distincti.

Morbi inflammatorii hîc dominantur, pleuritis prae ceteris in urbe *Pamplona* vulgaris. Peculiaris ista paralysis quam in urbe *Madrid* observamus, quae nullum morbum sequitur, sed potius illico hominem obruit, etiam hîc vulgaris; vermes et scabies sunt rarissimae. Febrium symptoma frequentissimum, cephalalgia et delirium.

Ordine jam sequeretur littus boreale Hispaniae; antequam vero ad hanc describendam pergamus paucis verbis quae efficiantur ex supradictis explicabimus.

In media parte vidimus planitiem editissimam hîc illic montibus et collibus sectam, aridam, siccam; partium septentrionalium, quae descriptae sunt provinciae, montibus quidam horrent satis altis, ubi vero loca plana, multo humiliora sunt uti juxta littora maris in *Catuluña*, inque media Arragoniae valle quam flumen *Ebro* perfluit. Habentur igitur quasi signa quaedam et notae, quae inter se et conveniunt et discrepant. Morborum endemiorum indoles hocce modo permiscentur, inflammatorii per majorem tractum praevalent, chronici et cutanei minus frequentes occurrunt, haud secus atque in Castilia utraque, sed insuper accedunt febres intermittentes, paludosis in locis littori maris adjacentibus, imo et juxta flumen *Ebro* febres putridae, scorbutus et hydrops in urbe *Barcelona*, priores etiam in urbe *Saragoza*. Sequentia autem fortasse non indigna erunt, quae hîc concinne notentur.

1°. Inter urbes *Zaragoza* et *Madrid* peculiaris habetur differentia; in hac enim minor est aegrorum numerus aestate humida, in illa contra sicca felices edit effectus. Hujusce rei forte non ita a veritate abhorrebit explicatio, quae magis aequabilia, sibi convenientia, et congrua inter se, sequi conatur, quam extrema. In urbe *Madrid* vulgo tempestas admodum est sicca, aër ardens, igneus ut ita dicam, pluvia, quamvis rarissima, nimium coeli ardorem mitigat, atque insuper etiam naturam totam et vegetabilem et animalem, prae ceteris hominem recreat ac reficit. In dirissimi morbi curam humiditatem egregiè conducere vidimus. Quid mirum igitur hanc salutares edere effectus, cum reapse non adeo increscere possit ut damna inde percipiantur. *Zaragoza*, quae naturâ est humidâ, potius ardoribus aestivis indiget, ne omnia pereant, et inprimis hominis ad valitudinem apta partium conformatio corrumpatur.

2°. *Huesca* et *Madrid* in eo conveniunt quod morbus verminosus vix ibi cognitus est. Utriusque urbis in edito loco sitae aër siccus, purus et elasticus. Vermium generationi magis favet humidum et frigidum et calidum.

3°. In *Pamplona* et *Madrid* frequentes sunt pleuritis et paralysis, vermes rari et scabies. Differunt eo quod in urbe *Madrid* cephalalgia vix observatur ut et delirium in febribus, quae vulgo occurrunt in *Pamplona*. Situs altioris convenientiae humiditatis accedit discrimen, crebius nempe pluit in hac, rarissime in illa.

Videamus nunc de ceteris Hispaniae Septentrionalis provinciis, initiumque ducamus a *Vizcaya* [Cantabria].

In tres partes dividitur haec provincia: in *Vizcaya* nempe *propia*, *Guipuscoa* et *Alava*, quae simul sumptae etiam *provinces Basques* dicuntur. Regio est mon-

tuosa, praesertim *Guipuscoa*, montium cacumina sunt hac parte nuda, latera vero sylvis obsita semper virentibus coeli temperies est magis aequabilis, quam in ceteris Hispaniae partibus, neque calor nimius nec frigus intolerabile adeo sentitur. Aestates sunt minus fervidae propter situm magis borealem, sed inprimis quod ventorum australium vis, tam montibus, quam quod tota reliqua Hispania interjacet, debilitatur atque frangitur. Huc accedit quoque maris vicinia. Venti enim marini non solum fervidum solis aestum deminuunt, sed etiam eo, quod aquae diutius temperaturam servant, minus aëris atmosphaerici sequuntur variationes. In regionibus mari vicinis varia coeli temperies variis anni temporibus non tam diversa reperitur et a ceteris recedit quam in mediterraneis regionibus (1).

Ventorum directio vulgaris haec est: aestate potissimum Caurus, autumno subinde mutatur inter Eurum et Africum, hieme ab Aquilone vergit ad Eurum. In *Vizcaya propia* venti inprimis marini observantur, unde aër saepius reperitur nebulosus, praesertim in vallibus, dum in montibus jam est serenus. Temperatio coeli exinde hac in parte parumper mitior sentitur.

Solum fertilissimum optime cultum; sed diligentem et aerumnosam culturam requirit, cum potissimum constat ex argilla densissima, quae nisi marnis mixta fruges ferre potest (2). Profert triticum, maïs, hordeum, fabas, erva, aliaque olera. Vitis vinum tantum medio-

(1) Infra fore dabitur opportunitas ulterius in hanc climatolagiae legem inquirendi.

(2) De hac peculiari agricultura cf. de la Borde l. l. II, c. 135 sqq. ubi concinne describitur.

ere praebet, quare sensim ejus cultura obsolevit in *Guipuscoa*, in *Vizcaya propia* contra generosum paratur, quod, nisi leges impedirent, melius etiam foret. Sylvae hîc abundant; quae constant ex variis Quercus generibus, (*Q. robur, sempervirens, Ballota*) fagis, castaneis, fraxinis, juglandibus, populis, ulmis, crataegis [*C. aria, alizier*], arbutis [*A. unedo*]. Hîc et illic (v. c. ad montem *Gorveya*) pascua laeta virent, in quae pecus ex magna regionis parte aestate mittitur.

Aquae medicatae inveniuntur.

I. In *Vizcaya propia:*

Frigidae (quae omnes videntur martiales):

1. Fontes duo prope *Lequeitia.*
2. Plures prope *Berriatua.*
3. *Thelleria*, prope *Puebla de Aulestia.*
4. Alius in *Barrio de Mendialdua*, in vico *Arteaga* prope *Guernica.*
5. Plures in agro *Arratiensi* seu *Merendado*, v. c. *Ceanuri*, *Duna.*

Thermae:

1. Duo fontes prope *Ceanuri.* His in balneis et ad potum utuntur.
2. Duo prope *Berriatua.* Sulphurosi.

II. *Alava.*

Frigidae:

1. Plures in agro *Amarayona.*
2. *Villareal*, prope *Venta de Bombil-Ach;* tres adsunt martiales.

3. Duo fontes prope *Urribari*, quorum alter sulphurosus, alter martialis.

Thermae.

1. Prope *Armentia* in agro *Vittoria*, sulphurosa.

III. *Guipuzcoa.*

Frigidae:

Unicus fons prope *Vergara.*

Thermae:

1. Prope *Ascoytia.*
2. *Asacca.*
3. *Ataun.*
4. *Mondragon*, inter *Escoriaza* et *Arechevaleta.* Harum trium aquae sunt tepidae et sulphurosae.

Incolae statura majori sunt quam Castellenses, minus maceri, robusti tamen et pedibus inprimis celeres (1). Faciei color laetus, rubicundus; oculi coerulei fere aeque frequentes, ac nigri et fusci, sic et capilli flavi. Facies hilaris, vivida; plerumque sine morbis vitae spatium ad extremam usque senectutem protrahitur.

Libertatis amantes, jura et privilegia ad mortem acriter defendunt; inde superbi, irritabiles, injuriarum memores. Ex omnibus Hispanis, ne Catalanis quidem exceptis, hi reperiuntur inprimis laboriosi, ac deligentes; fidem religiose servant, hospitii jura sancte colunt, grata inter illos et peregrinos laetaque intercedit necessitudo, atque vitae usus familiaritate exhilaratus.

---

(1) Inde locutio familiaris: *avoir le pied Basque.*

Coelum frigidius aliam prorsus diaetam requirit. Vinum generosum multum bibunt; victus magna parte animalis est, praecipue caro suilla; in maritimis pisces insuper adduntur. Quamvis sobrii esse non soleant, rarius tamen ad ebrietatem usque vino vel quovis alio liquore abutuntur inebriante.

Morbi endemii sunt febres inflammatoriae putridae et catarrhales; quarum aliae aliis anni temporibus vigent, ita quidem inflammatoriae potissimum grassantur hiemali, putridae aestivo, catarrhales verno et autumnali tempore. In regionibus maritimis endemii sunt scabies, vermes, hydrops; in montuosis tumor pedum; in vallibus vero profundis struma. Haec autem multo crebrior in parte Pyrenaeorum Hispanica, quam in Franco-Gallica. Ipsa jugi conformatio hujus rei causa est, neque, ut olim putaverunt, attribui debet corporis constitutioni Hispanorum, ut prae ceteris sint strumosi. Strumae potissimum observantur in vallibus, dum planities et montium cacumina ab hoc incommodo sunt libera (1). Pyrenaeorum autem natura est ad partem Franco-Gallicam magis praerupta et declivis quam ad Hispanicam, ubi declivitas magis est interrupta. Hinc plures oriuntur valles in hac, quam in altera parte. Praeterea in Hispania interiore strumae aeque rarae atque in aliis regionibus altis et planis.

Ultimo loco liceat observationes quasdam facere ad doct. THIERRY incolarum cursus celeris explicationem. Hic scilicet vir expertissimus atmosphaeram modice humidam ventosque montibus repercussos cutis ac muscu-

(1) A. v. HUMBOLDT tamen morbum observavit in planitie edita *Santa Fe de Bogota*, 6000 pedes supra fluvii *Magdalena* superficiem. Cf. *Edinb. Med. et Surg Journal* n°. 128 Jule 1836 p. 50.

lorum elasticitatem augere putat. Quaerit porro, nonne motus oceani cum atmosphaera communicatus incolas hujus orae maritimae agiliores reddere posset in gymnasticis? Numquam vero in causis indagendis procul quaerere debemus quod in promptu est. Montium enim incolae fere semper agiliores sunt quam planitiei, et praesertim excellunt pedum velocitate, ex perpetua naturae norma atque regula, nam si difficiliora callemus faciliora sponte sequuntur. Qui igitur in montibus innumeras difficultates superare debent, in planis facilius et celerius scopum attingent, nisi longiore temporis spatio eadem ratione euntes taedio afficiantur. In planitie vero degentes non facile in locis montuosis current. Regionem autem *Vizcaya* admodum montuosam esse supra jam vidimus.

Asturia (1). Ex omnibus Hispaniae provinciis haec montuosissima, tractus angustus inter Pyrenaeos ulterius se porrigentes Asturicos et inter mare. Est igitur potius ipsius jugi declivitas. Coeli temperies plerumque frigida est propter montes altissimos, per magnam anni partem nive obductos; aestate in vallibus profundis calor magnus, qui in montibus ventis marinis temperatur. Sed aër inprimis est humidus propter mare vicinum et ipsius regionis conformationem. Jugum enim, parte septentrionali declivitate praerupta, multis vallibus profundis obscurisque exaratum est. Vapores densi, qui e mari surgunt, montibus altis repercutiuntur, in vallibus retinentur et imbrium ortui quam maxime favent. Omnes fere aquae ad hanc partem decliviorem descen-

(1) Cf. DON C. CASAL. Historia natural y medica del principado de las Asturias 4°. Cit. THIERRY.

dunt, unde regio pluribus secatur rivis et fluviis humiditatem admodum augentibus. Valles extenduntur a meridie septentrionem versus. Sol itaque horis 5—6 tantum meridianis eas radiis beneficis fovet. Hinc noctu et mane illis aër est frigidissimus, meridie vehemens aestus, singulis igitur diebus variae anni tempestates mutuo sese excipiunt, idque momento citius, inter quas autumnalis propter humiditatem praevalet, quam tantam esse narrat THIERRY, ut arva vel media aestate, si modo ipsi solis radii intercipiantur, meridiano tempore rore madeant. Augustus et September menses sunt calidissimi, cum coelum tum sit satis serenum; ceterum aestas numquam est stabilis, nunc enim subito imbres cadunt, nunc Septentrio summa vi montes ferit. Hunc praesertim imbres sequuntur. Caurus, quamvis frigidior, non ita vehemens est; Aquilo summam regioni utilitatem affert, nebulasque dispergens coelum serenum reddit, atque humidum aërem, quamtum fieri potest, corrigat. Si aestate hic ventus diutius se remittit, autumnus morborum frequentiâ insignitur. In aliis anni temporibus minus conducit; vere enim inde oriuntur catarrhi, pleuritides, peripneumoniae. Zephyrus autem neque in frigus neque in calorem notabilem vim exercet, sed vulgo imbres adducit. Auster totam Hispaniam transgressus, multisque montibus fractus, minus est vehemens, ita ut potius exhalationis calidae quam venti ferat speciem, et quia non diu flat (1),

(1) THIERRY refert Austrum sub initium seculi XVII per duos integros dies vehementius flasse, aquam in fluviis et rivis ita incaluisse ut truttae, [*Salmo Fario L.* et *S. Trutta L.*] aquae gelidae amantes, aegri et temulenti in summa aqua natarent. Manu captae et ingenti numero in urbe *Oviedo*

minorem etiam in hominum sanitatem vim exercet, nisi pruritum auget admodum incommodum scabiosis.

Solum minus est fertile terrae materia deficiente, saxa et lapides cumulati ad altitudinem 10—12 pollicum inveniuntur. Parum frumenti igitur profert et solummodo in quibusdam partibus fertilioribus, ubi triticum secale, avena, maïs colligitur. In nonnullis partibus fructus optimi abunde nascuntur, castaneae, nuces juglandis, coryli; vinum non parant, sed magnam liquoris e malis expressi [*cidre*] quantitatem. Vegetatio spontanea ibi laetissima; montes obsiti reperiuntur varii generis sylvis, quae praesertim abundant quercubus pulcherrimis, castaneis, juglandibus, corylis, fraxinis. Herbae et frutices laetissima fronde sunt tecti, saepe florum loco creta; herbae aromaticae, inprimis ex labiatarum familia, minus copiosae sunt, quam in provinciis mediterraneis, multoque minus aromate praeditae. Humidum ita semper vegetabilia afficit, ut laetius quidem crescant, sed tela laxior, aquosior ut ita dicam, vires medicatas minuit.

Inter aquas medicatas distinguimus;

I. Frigidas:

1°. *La fuente de la Vena*, in loco *Terminu de los Reales*, prope vicum *Arce* in *Valle real de Pielagos.*

II. Thermas.

1°. *Casielles* I mill. ab urbe *Oviedo.* Balnea ibi adsunt.

[Ovetum] venumdatae narrantur. Quamvis afferat auctor tempore patrum innumeros hujus rei adhuc testes vixisse, tamen probabile fit hoc inter narratiunculas esse referendum.

2°. *Cornellana* (1).

3°. *Las caldas de Buelna*, in valle et prope vicum ejusdem nominis milliario dimidio a *Cartes*.

Incolae his praesertim distinguuntur virtutibus: patriae amore, legum observantia, fervido religionis studio. Probi atque honesti ita ut in locis montuosis furta prorsus incognita esse soleant.

Morbi endemii. Huc referendi scorbutus, morbus verminosus, calculosus, arthritis, dysenteria, ulcera crurum, scabies et *mal de rosa*. Paucis agamus verbis de singulis. Constitutio humida frigidaque, quae scorbuti causa praedisponens (2), regnat in *Asturia;* cibi saliti, huic morbo procreando egregie faventes, minime quidem in usu sunt, sed crudi isti aromatibus carentes, quibus saepius utuntur, haud magis prosunt. Potissimum in vallibus profundis grassatur scorbutus. In his etiam strumae valde sunt vulgares.

Generationi vermium praesertim favet aër humidus atque calidus, qui alio anni tempore regnat; cui si jungas victum supra laudatum, non est quod mireris tam vulgarem esse morbum verminosum.

In regionibus porro humidis frigidisque morbi renum sunt crebriores, quam in calidis atque siccis; humiditas enim perspirationem cutis impedit atque per antagonismum, ut ita dicam, urinae excretionem auget. Etenim quae alias per cutem eliminantur substantiae heterogeneae et obsoletae, nunc per renes transire debent, ubi

---

(1) » Cette source a une espèce de flux et de reflux" DE LA BORDE l. l. V. 490.

(2) Cf. JAMES LIND, Treatise on the scurvy. Ed. 2. London 1757 p. 47-103.

facillime morbos excitant ac procreant, atque praesertim ad calculos generandos opportunitatem praebent. Hanc theoriam id oppugnare videtur, quod diuretica saepe calculorum procreationem impediunt, sic notum est nostra in patria post usum vulgatiorem spiritus juniperi, ceteroquin minime commendandum, calculum minus frequentem factum. Sed attendendum magnam esse differentiam inter ambas observationes. Aëre humido enim ac frigido, urinae quidem secretio, ut supra vidimus, augetur, sed mittitur pura, limpida, partes crassiores, heterogeneae retinentur, quae si ad calculorum ortum sua conferunt, demum urinam parcam, turbidam reddunt. Contra spiritu juniperi, tamquam diuretico, secretio non solem augetur, sed et excretio facilior redditur, cumque urinarum fluxu etiam partes eliminantur, quae, priori casu, morbo provocando idoneam opportunitatem praebent. Ulcera crurum, quae potissimum seniores vexant, in humidis semper sunt pertinaciora, sin vero calor humido jungitur saepe prorsus insanabilia fiunt. In calidioribus, uti postea luculentius patebit, facillime vulnera et si minima in gangraenam transeunt, vel in ulcera mutantur. Si igitur aestate quis vel etiam levissimo vulnere, culicum punctione aliis, afficitur, ulcus inde oriri potest, quod hiemali humiditate exasperatum minus facile sanari potest.

Scabies. Juxta totam oram Hispaniae septentrionalem hic morbus vere endemius est, praeque ceteris hujus partis provinciis in *Asturia* vulgatior. Neque solum inter incolas ibi natos observatur, sed etiam peregrinos afficit. Sint homines parentibus admodum sanis nati, nutrice gavisi sanissima, vel contra parentibus debilibus et nutrice cachectica, haud minus hoc morbo affi-

ciuntur, eâ tamen differentiâ, ut in illis facillime curetur, in hisce vero non item. In infantibus saepius caput occupat, usque ad annum tertium decimum. A quo in alias partes praesertim artus transit. Malum erit omen, si in senio ad caput revertitur, neque tamen artus relinquit, quod accidit feminis saepe sed rarius apud viros locum habet. Quamvis saepius non periculosus hicce sit morbus, et interdum vel sine remediis possit sanari, tamen est valde incommodus, quia vulgo per 9-10 menses durat. Ventus Auster, uti de coeli temperie agentes, paucis verbis monuimus, pruritum mirum in modum adauget. Hunc effectum non facile explicemus nisi magna generatim hujus venti in corpus humanum efficacitate; magis autem opportuna nobis erit occasio, de vento ita dicto *Scirocco* dein agentibus, ubi alias Europae australis partes describamus, in quibus iste frequentius observatur. Facile tum ad hanc rem tractandum redibimus.

Quamvis nostrum propositum nullomodo ferat, morbos etiam aliis orbis terrarum regionibus proprios describere, cum tam arctos fines quos mihi constitui et intra quos difficulter admodum memet retinere potui, jam transgressus sim, attamen non possum non peculiarem de scabie observationem addere de qua hisce temporis saepe sermo fuit. Vetus (1) jam erat opinio causam proximam scabiei insectum videri, quod Linnaeus vocavit *Acarum exculcerantem*. Alii sunt hujus

(1) Cf. RICHTER specielle Therapie VI, 81; ubi citt: MONSET Theatrum insectorum 1634. J. GESTONI (*opere di* FRANC. REDI T. I app. p. 14) hic primus certius affirmavit animalculum morbi causam esse. RICHTER Ibidem.

opinionis fautores, alii insectum revera existere, sed potius a morbo generatum esse putabant, alii denique illud adesse omnino negabant. Recentiores (1) actionem hujus animalculi egregie probarunt, litem vero utrum revera scabiem gignat, an potius ipsum hoc per morbum gignatur sub judice reliquerunt; vir Doct. CASAL, quem supra citavimus, animalcula optime descripsit (2): »Sirones, inquit, in scabiosorum corpore, »in manibus praesertim et pedibus sub epidermide ge»nerantur. Vocantur in hac regione *aradores* [aratores] »et merito: arant enim semper inter cuticulam et cu»tem progrediunturque quasi cuniculi et canaliculum »longum sulculi instar relinquunt, qui sub clara luce »satis manifeste acuto visu praeditis sese ostendit."

Mal de la Rosa (3). Instante aequinoctio vernali, cutis in variis corporis partibus rubra atque aspera

---

(1) Cf. Notizen aus dem Gebiete der Natur- u. Heilkunde von v. FRORIEP n°. 556, p. 85; 913, (ubi icon); 925, p. 25; 1037, p. 48. RASPAIL in diario *Annales des sciences d' Observation* II. p. 446, 458. 1829 et III p. 298. Ejusdem Nouveau système de chimie organique; Paris 1833, 8° p. 508-511, ubi icon pl. X fig. 7, 8, 9. Idem in diario *Lancette française* 13 *Aout* 1831. ANTOINE DUGES, Note sur le Sarcopte de la gale humaine. *Annales des sciences natur. Sec. serie* Tom. III Zoologie; Paris 1835 p. 245-249, pl. XI. B fig. 1, 2.

(2) L. l. in appendice historiae affectionum epidemicarum p. 314. [Cit. WILLAUME.]

(3) Cf. THIERRY, l. l. II, p. 146 sqq. FINKE, l. l. III, 42 sq. OZANAM, maladies épidémiques, contagieuses et épizoötiques, Paris et Lyon 1817, V. 298 sq. RAYER, Traité théorique et pratique des maladies de la peau, Paris et Londres, 1835. II, 889 sq. [FINKE, OZANAM et RAYER ad verbum THIERRY secuti sunt, qui et morbum ipse vidit et observationibus Doct. CASAL usus est.]

fit. In dorso pedum et manuum, rarius alio loco oriuntur crustae scabrae, nigrescentes, sulcis altis divisae, interdum in ipsam carnem penetrantibus. Aestate siccantur, decidunt et stigmata relinquunt rubentia, glabra, nitida, pilis destituta, parumper infra cutem circumdantem descendentia, cicatricibus vulnerum ustorum satis similia. Per totam vitam haec remanent. Forma rotunda, et color roseus verosimiliter nomen *Rosa* huic morbo dedit. Quotannis verno tempore novis teguntur crustis, semper squalidioribus. Interdum alia observatur forma, crusta nempe cinereo-flavescens a parte anteriore inferioris colli juxta claviculas ad manubrium sterni descendit, ligamentum duos digitos largum faciens ac torquem referens. Rarius occupat totam posteriorem colli partem, sed vulgo media pars musculi cucullaris libera manet, ita ut non penitus collum circumdet. Saepe in osse sterni ad medium usque pectus procedit. Hisce symptomatibus jungitur tremor perpetuus capitis et superioris trunci interdum ita vehemens, ut aegri vix stare queant (1). Os dolet et ardet, labia sunt vesiculis obsita, lingua valde impura, debilitas observatur summa ventriculi, sensus ponderis et lassitudinis regnat per totum corpus. Noctu calor urens somnum ab aegris arcet, vix in lecto retinentur, dum contra frigus haudquaquam tolerare possunt. Tristes sunt ac melancholici, nulla causa apparente gemunt et plorant. Plerique facultatibus mentis illaesis, leviori gradu delirant, hebescunt, amittuntque sen-

(1) Femina in Nosocomio Ovetensi decumbens hoc malo ita vexabatur, ut continuo positionem pedum mutare deberet ne caderet, et caput moderetur arundinis instar ventis agitatae.

sus, gustum v. c. et potissimum tactum. Interdum accedunt ulcera maligna, pertinacia, erysipelas variarum partium, scabies, febris erratica; somnus est inquietus vel lethargicus. Cutis horride ex nigro lutescit, acor adest crudus atque tenax, cui adduntur viscerum obstructiones inveteratae (1). Terminari potest morbus hydrope, affectionibus scrophulosis et marasmo. Interdum etiam transit in maniam, quamquam non furibundam. Tristitia insignis aegros in solitudinem agit, ubi taedio vitae et mali vehementia confecti, suicidio miserrimae huic conditioni finem imponere solent. Pessimum haec mania, vulgo tantum solstitio aestivo conspicua, omen est et saepius lethale. Inprimis in agro Ovetensi hic morbus grassatur, ubi coelum, ut supra vidimus, nubibus et nebulis vulgo obsitum est. Est vero malum pertinacissimum ac curatu difficilimum habetur.

In naturam hujus morbi inquirens THIERRY et secundum eum OZANAM complicatum putat ex scorbuto et lepra. Vix tamen ullum, quo insignitur scorbutus, symptoma in ita dicto *Mal de la Rosa* offendimus. RAYER observationum paucitate et dubio nisus, opinionem certa ratione confirmatam naturae et curae recusat. Magnam interim analogiam statuit inter illum et Pellagram, quem utrumque cum Acrodynia (2) eadem familia naturali complectitur. SCHMALZ (3) morbum refert

(1) OZANAM hunc locum tali modo habet: »Il survient des érysi»peles, des ulcères, la chlorose, une fievre erratique et »l'élephantiasis à un leger dégré," l. l. p. 299. RAYER brevissime, »cet état peut être suivi d'érysipèles, d'ulcères, »de fievre erratique;" l. l. p. 889.

(2) Morbus peculiaris, qui annis 1828 et 1829 Parisiis epidemice grassatus est. Descriptus a RAYERO l. l. p. 890 sqq.

(3) SCHMALZ l. l. p. 189 n. 1683.

ad genus Lepram sub nomine *L. Asturiensis*, eandem ceteroquin descriptionem verosimiliter ex eadem fonte derivavit.

Sponte sic pervenimus ad dirissimum inter cutaneos morbum, non minus symptomatum malignitate, quam aegrorum frequentia olim famâ celebratum. Fuit enim tempus, quo in Europae ambitu 19,000 essent nosocomia, solis hoc morbo affectis destinata. Dubium nemini cuiquam erit me lepram indicare voluisse, quae hisce etiam temporibus, quamvis mirum profecto in modum imminutus sit aegrorum numerus, non prorsus tamen Europam reliquit. Argumenti pondus, quamvis sit gravissimum, a nostro scopo tamen quoniam alienum est, non sinit nos ulterius in historiam hujusce morbi inquirere. Quae cum ita sint, tantum agemus de forma, quam in *Asturia* induit; primo igitur breviter exponemus quae de hocce argumento apud THIERRY inveniuntur, tum haec cum descriptionibus morbi generalioribus, apud alios auctores obviis, comparabimus.

Quinque species enumerat auctor propriis characteribus inter se distinctas. In prima, quae inter omnes est vulgatissima, specie, cutis observatur aspera, sicca, pulvere cinereo tecta, ejusdem ferme coloris ac si cum farina particulae argilaceae mixtae essent. Vulgo non totum corpus afficit, sed potius partem posteriorem capitis et colli. In quibusdam vero praeter caput etiam brachia et femora albido hoc pulvere tecta, in aliis totum caput albescit, quasi calce (vel pulvere farinario) conspersum. Est scabiei inveteratae summus gradus, quo caput depilatur et crustae gignuntur cinereae, inter quas parvuli pili albi crescunt.

Altera et symptomatibus et exitu, magis etiam quam

prius memorata maligna, convenit cum Albaras nigra Arabum, cutis fit nigra, crassa, rugosa, squalida, neque pustulas, neque vesiculas, neque squamas (1) habet; externe nil insoliti, corpus non marcescit, sed respiratio redditur difficilis, et facies ferox. Odorem exhalant aegri ingratum, qui cum odore partium gangraena affectarum potest optime comparari.

Tertia, quae etiam frequens, praeter symptomata illis, de quibus supra mentionem fecimus, communia, distinguitur tumore crurum et femorum. Rarius utrique artus inferiores afficiuntur. Teguntur simul pustulis, crustis, verrucis et ulceribus malignis, quae vel parvula admodum foetent. Quo pluribus afficiuntur symptomatibus externis, eo diutius organa interna libera manent et vita aegrorum miserrima protrahitur. In minori morbi gradu manus alterutra intumescit, tumor satis mollis neque tamen oedematosus, ferme nullo dolore afficit aegrum, neque cutis colore mutatus, saepius autem feminas afficit hicce morbus; ceteroquin sanitatem vix laedit.

Quarta species, apud 3-4 homines tantum obvia, distinguebatur symptomatibus internis gravioribus, externe contra nec pustulae squamaeve adsunt, nec crustae vel tumores conspiciuntur, sed facies ita mutatur, ut non amplius humanam referat; ex hoc symptomate auctor petit nomen *Satyriasin*.

Quinta demum observata est in puella et viris duo-

---

(1) Interim Arabes squamas symptoma characteristicum hujus varietatis habent: Albaras nigra . . . . . et est scabiositas accidens cuti aspera, vehemens, et facit squamas sicut sunt piscium cum pruritu etc. AVICENNA LIV, Fen. 7, Tract. 2. Cap. 9. [Annot. THIERRY.]

bus 40 circiter annos natis. Cutis praesertim faciei, brachiorum, manuum et femorum erat tecta tuberculis duris, magnitudine nucis avellanae. Pars erat coloris rubri, pars albi seu viridi-flavencestis, et ita conferta ut vix digiti spatium inter illam liberum relinqueretur. Ipse vero vultus in superiori tam horrendus, in hac inmutatus erat. Interne minus aegrotabant quam alii, quibus sanior erat cutis.

Fatendum est morbi descriptionem nec perspicuam neque satis absolutam esse, propter magnam confusionem, quae in morborum cutaneorum chronicorum determinatione in universum, deque lepra et elephantiasi nominatim apud omnes auctores existit. Praeterea morborum, de quibus egimus, symptomata admodum obscura sunt. Quid v. c. sibi vult auctor agens de lepra, nulla pustula, squama crustave conspicua, sed symptomatibus internis gravioribus, facieque humanae prorsus dissimili, distincta, quam satyriasin nominans quartam speciem constituit. Hanc ulterius determinare non conabimur, lubenter fatentes hoc nos non potuisse praestare. Haec autem quae praeterea de aliis speciebus affert THIERRY, cum descriptionibus RAYERI si comparamus, prima species proxime convenit cum *Lepra vulgari* (1) [WILLAN] et ejus varietate *Lepra alphoide* [WILLAN], quae a *Psoriasi guttata* [WILLAN] vix distinguitur. In hac enim, nonnullis diebus post eruptionem praeterlapsis parvae pustulae, apice teguntur squamula albida, glabra, decidua.

Altera species difficilius etiam determinatur, cum cutis nigra, crassa, rugosa, squalida, unum atque so-

(1) RAYER, l. l. p. 111.

lum symptoma *sit*, et absentia squamarum, pustularum, vel vesicularum, quam ipse auctor in annotatione sententiae suae contrariam confirmat, illam a genere leprae juxta definitionem RAYERI prorsus abjudicat.

Cum elephantiasi Arabum (1) optime convenit tertia species, hypertrophia nempe cutis inprimis alterius utrius artuum inferiorum. Primo cutis haud mutatur, partis affectae tantum crassities augetur, sensim autem aspera fit, inprimis prope articulos pedum, tegitur tuberculis, et epidermis incrassatur uti in ichthyosi, denique fissurae et rugae in membro difformitate horrido oriuntur. Hujus affectionis varietatem in insula *Barbados* obviam HENDY et HILLARY sub nomine *Barbadoes leg* descripsere (2).

Quinta species ex omnibus facillime determinatur, cum melius descripta sit et symptoma: *tubercula*, *inprimis in facie*, *dura*, *magnitudine nucis avellanae*, *coloris rubri et albi seu viridis et flavescentis*, tantum observatur in elephantiasi Graecorum (3) seu lepra medii aevi, L. nodosa (4).

---

(1) RAYER, l. l. II 819. ALIBERT morbum vocat; *Lèpre tuberculeuse éléphantine.*

(2) Videantur infra in descriptione urbis *Gibraltar*, quae de *Bucnemia* inveniuntur.

(3) RAYER, l. l. p. 296 SCHMALZ, l. l. p. 189 n$_o$. 1678 *Lepra vera*, cujus varietates affert: *L. alba*, [syn. vitiligo, Baras elephantiasis, λευχή graecorum, lepra mosaica]. *L. nigricans*, [syn. vitiligo, baras nigrum]. *L. squamosa*, [psorica Graecorum] ad quam pertinet lepra Aegyptiaca seu Aegyptiorum.

(4) *L. nodosa*, [syn. Arabum vera, Elephantiasis sive Elephantia Graecorum, tuberculosa, Leontiasis, Tyriasis, morbus herculeus, phoeniceus, Lazari.] Elephantia Arabum, [aptuum] Elephantiasis recentiorum.

Haec de Lepra in *Asturia* endemia sufficiant.

Gallizia. Minus est montuosa, quam vicina provinvincia. Jugum enim, Pyrenaeorum prolongatio, ibi in multos ramos divisum, sensim sensimque decrescit. Ad limites provinciae *Leon* inter *Sierra Santa Named*, et Pyrenaeos in *Gallicia*, tractus planus et humidus. Aëris temperies est satis frigida cum a duobus lateribus mari circumdetur, nec vero tam humida quam *Asturia*, cum venti liberius totam regionem perflent, montibus minus cultis et confertis non ita repercutiantur, neque in vallibus profundis aër humidus condensetur. Exposita potissimum haec est regio ventis Zephyro, Septentrioni et Cauro. In tota Hispania nullus est locus, in quo nebulae sunt frequentiores. Inter hujus regionis partes differentia quaedam observatur, est enim juxta mare aër mitis admodum [*mou et doux*]; ad Africum calidus siccus et amoenus; ad Aquilonem frigidus, humidus pluviusque, in universum tamen satis saluber esse solet, in oris vero maritimis magis temperatus quam in regionibus mediterraneis reperitur, ubi pluviae imbresque frequentes occurrunt. Sic in *San Jago de Compestella* [Brigantium] per duas tertias anni partes pluit. Solum est fertile. Cultura optima. Inprimis sylvae abundant quercubus, juglandibus, castaneis aliisque arboribus. Arva proferunt triticum, secale, hordeum, avenam, quae ceteroquin rarior esse solet in Hispania. Prope *Orense* reperiuntur vites, castaneae, in agris prope *Tuy Rosamunda*, *Redondillo*, aurantia, morus cet.

Aquae medicatae hujus provinciae sunt:

I. Frigidae.

1. *Camondes*, prope *Puerte Arcas.*

2. Alius fons prope *Beja* V mill. a *Sant Jago*. Martialis.

II. Thermae contra abundant.

1. *Las Caldas de Cantis*, V mill. *Sant Jago*. Ubi balnea sunt.

2. *Las Caldas de Reyes*, in vico ejusdem nominis V mill. a *Sant Jago*. Quarum usus est ad balneum et potum.

3. *Baude*, in ditione *Riverenci* provinciae *Tuy*. Hujus est aqua calidissima. Balneà, quae ibi antea aderant, nunc jam sunt destructa. Etiam potui inservit aqua.

4. Quinque fontes prope vicum *Beran* in eodem agro I mill. a *Ribadavia*. Caloris gradus vix aquam tepidam aequiparat. Balnea.

5. *Viana*, prope *Puebla de Sanabria*, ad potum solummodo hujus aquis utuntur.

6. Alius juxta pontem *Lago*. Balnea, quae ibi inveniuntur, magis magisque negliguntnr.

7. Alius prope *Orense*. Aqua calidissima. Balnea, quae Romanorum tempore valde celebria fuerunt, hodie non item.

8. *Bertua*, VI mill. a *Coruña*. Balnea ibi collabuntur.

9. Quatuor in vico *Cortegada* V mill. ab *Orense* distinguuntur nominibus *fuente de la Piodra*, *fuente del Baño del Campo*, *fuente del Hierro et fuente del Baño del Monte*. Balnea hîc reperiuntur, atque etiam potantur aquae.

Incolae staturâ grandi sunt, robusti, strenui laborem facile ferentes, indefessi. Feminae pulchrae, cute splendente albissima, oculis et capillis nigris. *Gallegi*, uti dicuntur, religionem et regem amant, mores veteres servant, graves, candidi, sobrii, probi habentur

cum ceteris tractus septentrionalis partibus, ultimi totius Hispaniae aliorum armis subacti sunt.

Morbi endemii. In parte meridionali febres intermittentes crebro grassantur, saepiusque characterem habent malignum. Scabies et morbus verminosus sunt ibi communes. Scorbutus contra, quem tam vulgarem in *Asturia* animadvertimus, rarissime occurrit in *Gallizia*, ac tantum apud nautas quosdam ex longinquis itineribus reduces. Hujus phaenomeni ratio est humidum ac frigidum rarius ibi regnans, quam in provincia vicina. Lepra (1) et *Mal de la Rosa* (2), licet rarius, etiam hîc inveniuntur. Alii e contra hoc prorsus incognitum putant. In medio praecedentis seculi angina gangraenosa multos illic morte rapuit infantes. Primum tumor adest et levis inflammatio glandularum sine febre. Post unum vel duos dies partes internae afficiuntur, febris accenditur vehemens, inprimis si larynx dolorem patitur, unde facillime ad bronchos transit malum et miseri suffocati moriuntur. At si non ultra isthmum faucium extenditur, interdum feliciter aeger sanatur, antequam gangraena partes occupat (3). Orae maritimae generatim salubriores sunt quam partes mediterraneae, quo potissimum effici potest, quod homines ibi diutius vivunt.

Ex iis, quae de Hispania septentrionali diximus, intelligere possumus:

---

(1) Secundum DON ANTONIO DE GAVIEDEZ Y PUJA.

(2) DON TEYVO, utrumque cit. Doct. THIERRY.

(3) Eodem ferme tempore [a° 1748-49] haec angina grassata est Parisiis. cf. JEAN BAPTISTE LOUIS CHOMEL, *Dissertation historique sur le mal de gorge gangreneux.* 12°. Paris 1749. [cit. THIERRY.]

1. Tractum esse frigidiorem atque humidiorem Hispaniae, aërem vitam deprimere, nisi venti marini quodammodo hoc vitium corrigant et elasticum illum reddant.

2. Morbos egregie huic constitutioni respondere, cutaneos chronicos, scabiem, lepram, *Mal de la Rosa*, morbos systematis mucosi, vermes, systematis uropoietici, calculos, valde communes.

3. Dotibus tamen et physicis et moralibus incolas prae illis, qui Hispaniam interiorem incolunt, excellere.

Secundum ordinem, quam nobis proposuimus, transeundum esset ad Hispaniam meridionalem, sed cum jam limites septentrionales attigerimus, potius hic inseramus paucissima, quae de Lusitania comperta habemus. Suadet hanc mutationem ordo geographicus, suadet eorum, quae comperta repertaque sunt inopia, quibus in posterum referendis minus idonea esset opportunitas. Ex omnibus Europae australis regionibus, Lusitania nobis minus innotuit propter defectum fontium, e quibus haec notitia hauriatur; quae de hoc regno habet FINKE digna vix sunt, quae memorentur, neque apud quemquam alium topographiae medicae quidquam inveni. B. L. minus enucleatam igitur excuset descriptionem, quam hic inveniet.

Ad meridiem Galliciae, juxta mare Atlanticum, peninsulae Ibericae Lusitania occupat partem occidentalem, limitibus naturalibus, paucis tantum in locis, ab Hispania discreta. Minus est haec regio montuosa, et montes sunt humiliores, idem enim quod in *Gallizia* observamus, etiam hic locum habet; jugorum praecipuorum Hispaniam secantium in illa offendimus minus ad regulam quamdam exactos ramos, quibus ipsa terminan-

tur; solum jugum *da Estrella* alicujus momenti est. Tres valles longitudinales [*Längethäler*] complectitur regio quas trajiciunt flumina *Duero*, *Tejo* et *Guadiana*. Solum satis cum Hispanico convenit; montes nempe sunt jugorum hispanicorum continuatio. Aëris temperies potissimum eo differt, quod regio ventis inprimis exposita Zephyris, et maris vicina humiditatem excitat, et secum affert. Imbres sunt crebrae in multis regionis partibus atque inundationes. Urbis *Lisboā* [Ulissobona] coeli facies praesertim varians. Hiemes sunt imbrosae, quia Africus suam ibi praesertim vim exercet; durant autem imbres a medio mense Novembre usque ad finem Februarii, atque id quidem nunc parvis intermissionibus exceptis, de die in diem continuis, nunc per 12-14 prorsus remittentibus. Subitanea mutatione nebulae densae coelum excipiunt serenum, procellas dies serenus, calidos frigidus. Ver est ventosum et ventis Austro et Africo regnantibus pluvium. Ad finem Aprilis calor incipit sensim sentiri, et usque ad Septembrem augetur. Pluviae hoc anni tempore sunt rarissimae, coelum est continuo serenum (1). Calor horis meridianis gradum 21°-23° attingit, vespere autem a hora quarta et sexta frigus ita intensum est, ut chlamydum utilissimus sit usus, cum Septentrio prae ceteris ventis frequens sit.

Morbi satis cum illis qui in *Anglia* regnant conveniunt, catarrhales v. c. communes. Fama, qua erat *Lisboā*, quasi hibernaculum phthisicorum, hodie saltem ei tribuitur immerito, nam vel inter indigenas phthisis admodum est vulgaris. Inter salubriora loca pertinet

(1) Hoc mihi etiam testatus est hujus urbis incola, quem aliquando in itinere offendi.

Cintra, cujus situs est amoenissimus, aër etiam purus ac benignus. Vegetatio est ibi splendidissima, hortis (1) aurantiorum et citrorum plurimi, in quibus arbores ita confertae reperiuntur ut coma contigua gratissimam praebeat umbram, dum aër suavi florum odore gravis ad jucundissimam quietem invitat. Montes teguntur acaciis, ficis, sycomoris, paucis palmis et sylvis quercuum suberum. Juxta vias prope fontes et rivos conspiciuntur *Cactus Opuntia* insolitae altitudinis, innumerae Rosae, Georginae, fruticeta lata Resedae, quorum e medio hîc et illic superbi Agaves exsurgunt. Convolvuli floribus caeruleis, vites, Hyacinthi ad radicem rupium, in moeniis et muris colorem tristem cinereum prorsus abscondunt.

Lepra passim adhuc in Lusitania occurrit, uti conjicere debemus ex. Doct. GOMEZ (2) opere.

Aquarum medicatarum regio ditissima est, ducentas ferme enumerat VASCONCELLOS. Secundum Doct. FRANCISCO TAVAREZ in catalogum praecipuas exposuimus (3).

---

(1) De sylvis citrorum aurantiorumque ferunt alii sed immerito; veras ita dictas sylvas harum arborum nusquam in Europa australi offendes. Spontaneae quidem hîc et illic veniunt, sed tum potius solitariae. Cultae vero in hortis clausis exstant uti cerasus, pyrus et malus in Europa media.

(2) Memoria sobre os meios de diminuir a elephantiase am Portugal offerecida as Cortes de Portugal por GOMEZ. Lisboã 1821. 4° (Frustra hucusque hunc librum nancisci conatus sum).

(3) Cf. J. L. ALIBERT l. l. p. 594. Ubi Doct. TAVARESII tabulam invenies.

AQUARUM MEDICATARUM LUSITANIAE CATALOGUS.

	FONTIUM NOMINA.	SITUS.	AQUARUM NATURA.	TEMPER. CENTIGR.
In Provincia *Miño.*	*San Antonio das Taïpas* sive *Caldas das Taïpas*	*Guimarens*	sulphuroso-hepatica	32°, 75
	Caldas	ibid	sulphurosa	?
	Canaveres	ibid	sulphuroso-hepatisata	34°
	Guimarens	ibid	sulphuroso-hepatica	58°, 75
	Gerez	ibid	gazosa	62°, 50
	Braga	*Braga*	hepatico- et ferruginoso-sulphurosa	frigida
	Caldellas de Renduse	*Ucana*	parum ferruginosa et sulphurosa	31°, 50
	Monçao	ibid	gazosa	43°
	Padreiro	ibid	sulphurosa	frigida
	Entre Rios	*Penafil*	gazosa, hepatisata	»
In Prov. *Tras-os-Montes.*	*Carlão, Caldas de Favaios, de Porraès* seu *de Murça*	*Villa-Real*	hepatico-gazosa et ferruginosa	33°, 75
	Ponte de Cavez	ibid	sulphurosa	23°, 75
	Rede, de Corvaceira, de Moledo, de Panaguião	ibid	ejusdem naturae	37°
	Pedras Salgadas	ibid	salina	frigida
	Chavès	*Bragança*	salino-alcalino-garoza	61°
	Pombal d'Anicaës	*Torre de Moncorvo.*	sulphuroso-hepatica	35°
In Prov. *Beira.*	*Alcafache*	*Viseu*	sulphuroso-hepatica	37°
	Canas de Senhorim	ibid	sulphuroso-salina	34°
	Carvalhal	ibid	sulphuroso-hepatica	37°
	Santa Gemil seu *Lagiosa*	ibid	ejusdem naturae	49°
	San Pedro Dosul	ibid	ejusd. nat.	67°, 50
	Fonte Santa	*Pinhel*	sulphurosa	frigida

	FONTIUM NOMINA.	SITUS.	AQUARUM NATURA.	TEMPER. CENTIGR.
In Prov. *Beira.*	*Almafala*	*Pinhel*	saliña	frigida
	Ranhados	ibid	sulphuroso-hepatica	42°
	Alpreada	*Castello Branco*	sulphurosa	frigida
	Peñagarcia seu *Caldas de Monsortinho*	ibid	thermae simplices	20o
	Peñamacor	ibid	sulphuroso-hepatica	20°
	Rapoila de Coa	ibid	sulphuroso-salina	37°
	Aregos	*Lamego?*	parum hepatica	61°, 25
	Santa Cambadão	*Arganil*	sulphuroso-hepatica et salina	frigida
	San Jorga	*Feira?*	sulphuroso-hepatica	frig.
	Prunto, Azenha seu *Vinha da Rainha*	*Coïmbra*	ejusdem naturae	32°
	Unhaes da Sarra	*Guarda*	ejusd. nat.	31°
In Prov. *Estremadura.*	*Alhandra*	*Riba-Tejo*	sulphuroso-salina	frigida
	Caldas da Rainhas	*Alemquer*	sulphuroso hepatica	34°
	Gaieiras	ibid	ejusd. nat.	33°
	Rio Real	ibid	ejusd. nat.	24°
	Leyria	*Leyria*	thermae simplices	25°
	Monte Real	ibid	sulphuroso-hepatica et salina	19°
	Cascaës seu *Estoril*	*Torres Vedras*	neutro-salina	29°
	Torres-Vedras	ibid	salino-ferruginosa	44°
	Agua Santa de Vimeiro	ibid	subsalina	26°
	Banhos do Duque (1)	*Lisboã*	sulphuroso-hepatica	30°
	Miorga	*Alcobaça*	salina	28°
	Povea de Coz	ibid	thermae simplices	25°
	Rio-Mayor	*Batalha*	continet sal culinare	frigida

(1) Ibi inveniuntur octo fontes diversi; qui vocatur *do Duque* calidissimus est. *Bica de Capato* frigidissimus 18° nempe graduum.

	FONTIUM NOMINA.	SITUS.	AQUARUM NATURA.	TEMPER. CENTIGR.
In Prov. *Alentego.*	*Alsustrel.*	*Ourique*	salina	frigida
	Mertola seu *Agua da Pego de San Damingos*	ibid	ferruginosa	frig.
	Aaez, *Gafete* seu *Tolosa*	*Portalegro*	sulphuroso-hepatica	frig.
	Maria-Viegas	ibid	ejusdem naturae	frig.
	Portalegro	ibid	gazosa hepatica	frig.
	Cabeço de Vide	*Avir*	sulphuroso-hepatica	27°
	Gavião	*Crato*	hepatico-ferruginosa	frigida
	Monte de Pedra	ibid	sulphuroso-hepatica	frig.
	Onguella	*Elvas*	gazosa salina	frig.
In Regno *Dos Algarves.*	*Monchique*	*Lagos*	gazosa hepatica	33°, 75
	Tavira	*Tavira*	ejusd. nat.	25°, 75

Hispania meridionalis.

Qui e planitie edita provinciae *la Mancha* profecti, jugum *Sierra Morena* transeunt et per furcas *Despeña Perros* (1) descendunt, immensa naturae varietate quam offendent, stupefacti, egregie delectabuntur. Progrediuntur enim ex taedii pleno, ac uniformi plano, arboribus ferme destituto, ubi natura arida et exhausta, in furcas profundas obscuras atque horrendas ferme, nisi infestissima loca, ubi pectus horrore perculsum et anxie constrictum vix animam ducere queat, privis et peculiaribus dotibus ac majestate replevisset eadem natura. Has demum egressi naturae facies meridionalis vegeta, laeta, luxuriosa subito toto splendore apparet. Regio ipsa formis variis montium et collium pulcherrima ac splendida vegetatione obsitorum oculos delectat. Hisce enim mox sese offerunt *Cactus Opuntia* seu *Ficus Indica*, et *Agave Americana* larga ac spontanea arvorum sepes. *Citrus medica* et *aurantium* cultus non solum laeta viriditate pulcre inter montes et arva eminet, sed spontaneus etiam comâ splendidâ rupium lineas ad amussim directas egregie ac mira varietate interrumpit. Magnae Palmarum familiae duae species, talem naturae faciem constituunt, ut in locis australibus sub tropico te versari putares. *Chamaerops* nempe *humilis* latos tegens tractus, et *Phoenix dactylifera* hîc et illic gracilem truncum splendida fronde superbe coronatum erigit. Inter culta praeterea attentionem merentur *Gossypium herbaceum* et *Saccharum officinarum*.

Etiam regnum animale certa quadam, ut ita dicam,

(1) Harum descriptionem vide apud DE LA BORDE l. l. II. b. 5.

analogia cum solo Africano consentit: Lacertae enim et Serpentes variorum generum hîc inveniuntur, nec vero non Scorpiones frequentes, iique majores venenoque acriore armati. Coleoptera, inprimis Scarabaei, coloribus micantibus ornati. Quae vero haec regio cum aliis regionibus communia habet animalia haec, formarum elegantia, membrorum vigore, musculorum gracilium alacritate distinguuntur. Noti sunt equi Andalusi prae ceteris Europae,' nisi forte Anglicos (1) excipias, excellentes. Et ipse asinus domesticus factus, ceteroquin a typo spontaneo ac naturae vigore aeque depravatus (2) ac congener equus excultus, hîc saltem minus a pristina forma elegantiori recedit.

Hujus partis diversam aëris temperiem non unico determinatur situ meridionali, ipsa vero declivitas meridiem versus et Eurum unde ventis exponitur australibus, magni in hoc phenomeno explicando momenti est. Repercutiuntur enim radii solis ab altis lateribus nudis montium et rupium. Sola *Sierra Morena* tegitur quercetis (*Quercus Ilex*, *Suber*, *Ballota*) sempervirentibus et cistis, inprimis *ladanifero*. In ceteris hîc et illic e labiatarum familia quaedam genera inveniuntur nec gregatim, sed solitarie in solo nudo et arido. Etiam flora cryptogamica pauper, unde potissimum derivanda videtur rupium nuditas; Lichenes enim, humiditatem attrahunt et primum rupium decomponendarum causam praebent. Vegetatio e contrario est luxuriosa in vallibus humidioribus, ad rivorum ripas, ubi *Nerium ole-*

(1) Sed orti sunt equi Anglici ex caballis et equabus, quos in Hispaniam Mauri duxerant. Cf. D'ALTON, Naturgeschichte des Pferdes.

(2) Cf. SCHREBER, Säugethiere Tab. 309.

ander pulcherrimis floribus roseis inter sanguineos *Punicae granati* et niveas citrorum flores gratâ varietate gratum facit transitum.

Quamvis arbores in montibus rarae sint rupesque lateribus nudis, et aër siccissimus aquas minus copiosas reddat, quam e jugorum extensione suspicares, tamen Hispaniae interioris ariditatem nusquam ibi offenderes. Flumina uberiora uti *Guadiana* et *Guadalquivir*, profundiores et crebiores vallium incisiones ibi [*Thaleinschnitte*] efficiunt, unde naturae adspectus minus uniformis est. Desunt ferme planities editae, quaeque invenitur prope urbem *Granada* minus est extensa ac melius irrigata. Juga inter se sunt proxima, et inter illa altissimum illud eminet *Sierra Nevada*, cujus cacumina supra limitem nivis aeternae adscendunt.

Complectitur pars meridionalis: *Andalucia* [antiquam Baeticam], *Murcia*, *Valencia* et partem infinam *Cataluña*. Antequam vero ad peculiarem harum provinciarum descriptionem nos accingere pergamus, non incongruum erit HAUSMANNIO egregio duce de quibusdam praecipuis Hispaniae meridionalis partibus quaedam brevi narratione persequi, ut clarior inde totius regionis oriatur conspectus.

Declivitas meridionalis jugi *Sierra Morena* primo loco attentionem meretur, cum primum sit initium totius tractus, hoc enim jugo ab altiori Hispania interiori separatur. Nomen ipsum jugi fusci, jam significat sylvis et lucis lumen intercipi, gratisque umbris ardorem solis imminui. Ex omnibus Hispaniae jugis hocce densissimam offert vegetationem, quod inprimis debetur declivitatibus minus abruptis. Huc accedit natura saxorum, facilius in solum fertile sensim decompositorum.

Neque solum declivitate jugi ipsa terminatur, sed hîc illic, uti v. c. *Andujar* versus et in planitie edita granitica *Linares*, usque ad *Guadalquivir* extenditur; cum aliis Europae sylvis vix comparari potest, sed differt toto externo habitu ac indole. Aliae sunt arborum species, quercus, potissimum sempervirentes [*Ballota, pyrenaica*], quarum coma laeta viriditate ab iis quae ejusdem generis sunt, in Europa media, *Robore* et *Pedunculata*, superatur. Excellunt hae et altitudine et fronde densiore; vulgoque ipsae arbores majus spatium liberum inter se relinquunt. Umbra igitur frequenter ibi interrumpitur, nec saevum Europae mediae nemorum horrorem usquam ibi invenires. Superficies soli subjacentis numquam laeto graminis caespite continuo tegitur, sed culmos longos ac graciles hîc illic eosque solitarios tenera gramina proferunt. Inter frutices prae ceteris regnant cisti variae species, nunc luci continui *Ladaniferi* corollis magnis, albis, maculis fuscis in petalorum ungue, nunc variae species mixtae floribus purpureis albis, seu luteis. Horum viriditas in universum est vel parca vel tristis. *Pistacia Lentiscus* foliis pinnatis, luteo viridibus, adspectum vividiorem praebet. Loca sicciora aprica *Echium violaceum*, florum multitudine et colore amoenissimo splendenti distinctum, ornat. Neque suus humidioribus locis deëst ornatus, sed *Asphodelus ramosus* scapum multifidum floribundum ibi luxurianti vegetatione immiscet.

Distinguitur inprimis hujus tractus flora ab aliis inprimis Europae mediae, quod e toto anno ver optime sit ornatum. Plurimae species nunc perfecto splendore simul florent, et sic adspectum multimodis variegatum ostendunt, quem frustra in septentrionalibus quaereres.

Sensim autem calor auctus, fructuum florumque generationem accelerat, serotini nunc hîc et illic quidem apparent flores, sed potius universam ariditatem eo luculentius ostendunt, quam tristem totius naturae habitum exhilarant. Post aestivos ardores et autumnales imbres redivivo vigore renascuntur gemmae et folia in plantis, in quibusdam vel flores et fructus, plurium vero ulterius incrementum vetat hiems. In septentrionalibus vero partibus primum ver paucos tantum flores profert. Rari sunt quidem, attamen hiemem, naturae diuturnum somnum fugatum, futuramque aestatem praedicunt. Ipsa aestas continuo nova genera, vetera, quae jam deflorescere incipiunt, excipientia profert, denique autumnus grate pluribus e *Compositarum* familia generibus, tunc suo tempore florentibus, seriem hancce claudit.

E montuosis in plana descendentibus obvia fit vallis, quam *Guadalquivir* transit, omni externa specie a tractu descripto diversa; regio minus est varia, planorum indole uniformi distincta, fertilis admodum, regionis totius circumdantis horreum. Ubi enim humido calidum jungitur ibi vegetatio solet semper luxuriare. Inprimis hoc nomine distingui meretur ager Alcalensis in valle angusta fluvii *Guadayra*, majus flumen *Guadalquivir* aquis augentis. Horti sunt pulcherrimi, oleis et citris confertis; inter Agaves et opuntias hîc et illic palmis excipiuntur solitariis, dum ipse soli color fusco-ochraceus variegata viriditate alternatur. Adspectu minus gratus, sed summam fertilitatem indicans. Culturâ excellens est ager Hispalensis; arbores ibi prorsus fere deficiunt, cerealia contra in arvis egregie proveniunt. Flumen in decursu directionem jugi *Morena* sequitur, hinc vallis ad occidentem sensim extenditur, et ubi ad

meridiem vergitur maximam amplitudinem acquirit. Ibi in duos ramos dividitur *Guadalquivir*, ut plurima flumina ad ostium variis ramis in mare se praecipitare solent. Haec tamen, ut vulgo vocatur, Deltaica formatio non ad finem absolvitur, mox enim, impedimento probabiliter subterraneo cohibiti, iterum in unum confluunt alveum fluvii.

Sierra Nevada (1). Uti jugi supra descripti *Morena*, et hujus nomen characteristicum est, significat nempe jugum nive tectum (2). Distinguitur hoc charactere ab omnibus Hispaniae montibus, Pyrenaeis tantum exceptis, qui tamen cacumina minus alta habent. Externa specie peculiari conspicitur, quum serrae (3) instar e longinquo jugum appareat. Est ibi spontanea et culta vegetatio, nulla ratione cum jugi *Morena* vegetatione comparanda, ad radicem tantum alicujus momenti. Hunc limitem transgressi in declivitate septentrionali saxa prorsus nuda offendimus, in meridionali altius adscendit cultura et spontanea vegetatio uberior est. Prorsus desunt sylvae castanearum, fagorum, abietum, laricum, quae ad Alpium Europae mediae adspectum totamque naturam variandum, vix dici potest, quantum conferant. Nusquam ibi inveniuntur prata alpina viridia millenis floribus ornata; in quibusdam tamen locis occurrunt rarae pini et quercus sempervirentes, rariores castaneae, aliaeque arbores foliis deciduis. Ipsa saxorum species minus vegetationi favet; in montibus secundariis nempe praevalet *Dolomitum*, in pulverem

(1) Hausmann l. l. p. 169 sqq.

(2) *Nevada* proprie dicitur massa nivis, quae simul cadit.

(3) Serra hispanice vocatur *Sierra*, quo nomine egregie generalis montium hispanicorum adspectus significatur.

grossum arenaceum deliquescens. Jugum praecipuum constat e schisto micaceo, unde forma magis convexa facile derivatur. Structura ceteroquin simplex, stratorum dispositio convexa, lateribus generatim utrique declivitati respondentibus. Praeter summam altitudinem, aliorum jugorum principum non fert adspectum grandem, quod tribuendum structurae simpliciori, defectuive cacuminum formae singulari (*Mangel ausgezeichneter Gipfelformen*), et vallibus obliquis seu transversalibus (*Querthäler*) alte in jugum penetrantibus, rariοribus. Aquae si cum alpinis et pyrenaicis comparantur adsunt paucae, quum nivis aeternae massa minus extensa sit, et montes glaciales [*Gletscher*] ibi frustra quaerantur.

Quod inter *Sierra Nevada* et mare extenditur jugum *Alpujaras* (1), distinguitur adspectu antagonistico vegetationis luxuriantis et tristissimae sterilitatis. Prope *Berja* v. c. quasi in caldario proveniunt et crescunt plantae, dum contra tales *oäses* egressi rupes nudas offendimus, omni humo destitutas; in fissuris rarae occurrunt species e Labiatarum familia: *Rosmarinus*, *Thymus Zygis*, *Lavendula Stoechas*, aliae. Quibusdam deinde locis crebro occurrit utilissima *Stipa tenacissima*.

Sola, quae in Hispania meridionali occurrit planities edita, quaeque *Vega de Granada* (2) vocatur, extenditur ad radicem occidenti-septentrionale jugi *Nevada*. Fundum est vallis infundibuliformis [*Kesselthal*] late extensae. Coelum ibi benignum est et amoenum, quia solum alte supra maris superficiem situm, a ventis australibus tec-

(1) Hausmann l. l. p. 174 sqq.
(2) Hausmann l. l. p. 167.

tum est, et nix per majorem anni partem alte in montium latera descendit. Quantopere differt illa ab Hispaniae mediae planis, fertilitate et fructuum spontaneorum cultorumque ubertate. Situs peculiaris regionis australis omnia affert emolumenta, nullaque damna. Jungitur ibi quodammodo flora septentrionalis cum australi, dum populus, ulmus, quercus variae species invicem mixtae reperiuntur. Arva excipiunt oliveta et citrorum hortos, morus et ficus lucos procerum cypressorum.

Denique nonnulla videntur addenda de littore meridionali. Declivitate valde abrupta montes et rupes mare versus descendunt, paucis tantum locis ora plana est, arenosa, saepius non admodum extensa. Neque alte in terras penetrat mare, quamvis saxa argillo- et chlorito-schistacea facilius fluctibus destruantur quam granites et gneissum, quo littus Norvegicum et Suecicum est constructum, sinubus et incisionibus, quas dicunt *Fjör* multifarie exaratum. Littus occidentale Gallicum et Lusitanicum etiam multo magis incisum, oceanus immensâ, si cum mari mediterraneo comparatur, vi saxa frangit, sed etiam ipsa, ut ita dicam, stratificatio verticalis faciliorem in septentrione destructionem fieri sinit, quam horizontalis et obliqua littoris Hispanici. Via admodum solitaria nunc ad ingentem altitudinem, in saxa et rupes adscendit, nunc in ipsos horrendos gurgites descendit (1). Abrupta ista declivia floram vegetam alere non possunt, cultura vitis summopere extensa, hunc defectum quodammodo compensat. Quae ibi invenitur spontanea vegetatio fruticibus

(1) Vide apud HAUSMANN l. l. p. 179 sq. elegantem, graphicam prorsus itineris juxta littus meridionale descriptionem.

inprimis sempervirentibus constat: *Pistacia*, *Cistis*, *Ericis*, *Rore marino*. Potissimum ab Italica analoga vegetatione distinguitur absentiâ *Myrti*, quae si passim forte invenitur, nusquam ibi ut in Italia tam crebro se conspiciendam praebet. *Pinea haleppensis* in littore maris mediterranei valde communis hîc et illic raras facit sylvas. In Italia et littore Franco-Gallico *Pinus Pinea* altitudine et formae elegantia facile superior, illius occupat locum. In agro Motrilense colitur *Gossypium herbaceum* et in vallibus *Almuñecar* ac *Velez Malaga Saccharum officinarum*, a quibus propria ibi australis naturae facies oritur.

Inter juga secundaria jugi primarii *Nevada* quasi ramos distinguitur *Sierra de Mijas*, saxis marmoreis, asperis prorsus nudis, montes recentioris formationis vegetatione luxurianti tectos abscondentibus. Haec potissimum prope vicum *Benalmadena* insignis. *Sierra de Ronda*, declivitatibus satis sylvestribus, collibus secundariis, quorum planiora late tegit *Chamaerops humilis*, uti *Erica vulgaris* in Europae mediae ericetis, sine ulla fere intermissione continuatur.

Solitaria inter littoris meridionalis montes surgit rupes calpensis (Columnae Herculis) *Gibraltar* (1), isthmo angusto arenaceo, posterioris quam ipsius saxi formationis continente juncta. Dubium est, utrum formatio sit aborigines, et olim juncta fuerit montibus minoribus prope *San Roque*, an potius a continente separatum sit promontorium vel e mari elevatum. Firmissimus certo agger est inter mare mediterraneum et

(1) Hausmann l. l. 193 sqq. Hennen. l. infra l. 6 sqq. De la borde l. l. III. 383 sqq.

Atlanticum, quamvis minus probabile sit eo tempore, quo ingenti terrae motu fretum Herculeum fuit exaratum, ipsum propugnaculum formatum esse (1). Ad septentrionem et orientem mons arduus et ferme verticalis est, ad occidentem declivitate minus abrupta. Radix meridionalis duobus constat lateribus, ex parte perpendicularibus, ex his *Europa Point* surgit ad 105 pedes anglicos, *Windmill Hill* ad 330. Ardua nunc adscendit rupes usque ad *St. Georges Tower* juxta ita dictos *Mediterranean Stairs* ad 1400. Cacumen quod illos superat *Sugar Loaf* dictum, 1435 supra mare est elatum. Margo applanatus circumdat rupis partem orientalem, septentrionalem et occidentalem; ad septentrionem in angustum isthmum, cujus ope cum continente cohaeret, decurrit. Orientalis pars est valde angusta. In occidentali sita est urbs ad rupis latus adscendens. Meridionalis primo facit planum superficie satis obliqua, denique muro quasi perpendiculari in mare immergitur.

Natura ita dicta organica haud minus peculiarem offert characterem proprium; nempe eorum, quae Europa, Africa et America profert, mixtura observatur; *Chamaerops humilis* ibi frequenter invenitur, et in parte occidentali saepe altitudinem 4-6 pedum attingit, quam, Siciliâ exceptâ, frustra in Europa Australi quaereres; *Agave*, *Cactus*, variae species *Aloës* et *Pelargonii* ibi abundant. Multa insecta et reptilia cum Africa septentrionali communia habet, sed inprimis *Si-*

(1) Absolutam hujus argumenti elaborationem vide apud HAUSMANN l. l.

mia Innuus (1) inter palmas et rupium fissuras, locis ut plurimum impenetrabilibus, est obvius.

His quasi in transitu ex HAUSMANNI egregio opere, ad partium provinciarum descriptionem adnexis, pergamus pauca addere de aëre atque incolis, ut denique videamus, quales morbi huic parti meridionali peculiares sint. Initium ducamus a:

Valencia. Regio, infima meridionali parte excepta, tota est montuosa, ac fluviis et rivis inprimis irrigata. Fertilitas ibi summa est, qualis in meridionalibus terrae regionibus tantum, neque in his crebro occurrit (2). Agricultura summum attigit fastigium, praesertim, irrigatorium opus, quod jam Maurorum tempore, ingenti cura et magnis impensis per totam regionem vigebat. Abunde profert vinum, passulas majores, oleum, ficos, sericum, linum, cannabin, cerealia, zeam, oryzam. Sacchari cultura olim majoris erat pretii atque momenti, nunc tantum in ducatu *Gandia.* Sic etiam ante inventas Coccionellas magni faciebant Kermes animale, quod parabant ex larvis Cocci in gallis *Quercus Ilicis* et *Cocciferae* inclusis. Prope *Elche Phoenix dactylifera* abunde colitur, et ita bene procedit et vegetat ut 13-14 aetatis anno jam 40-60 pedum altitudine fructus maturos proferat. Ad littora maris *Salicornia*, *Salsola*, *Chenopodium* praebent sodam.

---

(1) *Innus sylvanus*, *le Magot.* Ex Africa boreali in rupem ductus. CUVIER Regne animal I. 108, ed. 1817.

(2) In locis *Huertas* dictis et generatim in parti orientali et austro-occidentali quotannis colliguntur 4 ad 5 messes, prata 9-10 falce secantur, mororum folia 3-4 decerpuntur. DE LA BORDE l. l. III 294.

Fontes soterii hujus regni sunt:

I. Frigidae.

1. Fons, prope *Navajas*.

2. Alius, prope *Nubes*, loco *Villa vieja* dicto.

3. *Sacotoba* (*la fuente de San-Vicente*), in agro *Bunol*.

II. Thermae.

1. *La fuente de Buzot*, prope vicum hujus nominis, ad radicem jugi *Gitana*, IV mill. ab *Alicante*. Temperatura est 104° Fahr. Balnea ibi inveniuntur.

2. *La fuente caliente* (fons calidus), II mill. Africum versus ab *Alicante* ad radicem montis alti calcarei.

Coeli temperies (1) totius regni grata atque amoena est. Calor aestivus inter 17-20 gradus R. qui si situm meridionalem spectas, valde temperatus est. Ad quem conferunt venti marini quotidie aërem refrigerantes. Hieme rarius mercurius in thermometro ad 3 gradus infra punctum congelationis descendit, et medius calor observatur 7°-13° R. Aestate tonitrua crebra sunt, sed brevia. Vere et autumno tempestas inconstans est, ac praecipue ventosa. Nebulae et pruina in multorum saeculorum intervallo bis tantum sunt observatae. Non est, quod dicam, aëre in interiori regione multo sicciorem esse, quam in littore. Coelum per majorem anni partem conspicitur serenum, fusco-cyaneum. Ipsius urbis *Valencia* aër aeque benignus. Ver interdum tantum pluvium; aestas temperata; ipse autumnus calidus et pulcer usque ad initium Decembris. Coelum urbis uti et agri vicini minus intense coloratum, sed vaporibus albidis ex innumeris canalibus surgentibus, velo

(1) Chr. Aug. Fischer in appendice ad versionem Clarkii l. l. p. 31.

quasi cretaceo subtilissimo tegitur, ad meridiem vero evanido. Arbores et arva solent esse brumali tempore aeque viridia, ac in septentrionali Hispania mense Majo.

Incolae sunt hilares, leves, in gaudia proni, cantum et saltationem amant, hac inprimis prae aliis excellunt. Festi dies publici sunt crebri, laetitiâ semper pleni. Magnopere igitur a severis ac tristibus interioris Hispaniae incolis differunt, sed simul eorum virtutibus carent, sunt inconstantes, propositi minima difficultate obvia minus tenaces, minus strenui ac virtute bellica clari (1). Minus sobrii sunt et laute utuntur cibis atque potu, quod ab una parte pendet ab alimentis magis aquosis, parva quantitate igitur minus nutrimentum afferentibus, et vino prae ceteris generoso. Generatim igitur diaeta lauta ac copiosa est, oryza omnes utuntur, pauperum unicus ferme cibus et divitum epulas quotidie comitatur. Potu frigido et glaciato vel per ipsam hiemem summopere delectantur. In urbe *Valencia* multis cupediis utuntur seu confectionibus saccharatis. Aqua pejoris notae, unicus tantum fons adest saepe exsiccatus, vulgo putealem bibunt incolae.

Juxta littora maris insalubrius est, quam in montuosis, grassantur ibi febres tertianae, quibus illic numquam prorsus carent incolae. Prodest urbis coelum debilibus, nervosis, cum aër sit siccus, calidus, nec tamen ulla ratione cum arido urente regionis interioris

(1) Inde proverbium de Valencia loquentibus familiare :
La carne es yerva, la yerva agua,
Los hombres mugeres, las mugeres nada.
[Caro est herba, herba aqua, homines mulieres, mulieres nihil] DE LA BORDE l. l. I 228.

planae comparandus. Hypochondriaci, morbis viscerum thoracicorum laborantes, ipsique praesertim phthisici, neque hic exoptatum asylum invenient.

Murcia. In parte littorali et media minus quidem montuosa est quam *Valencia*, occidentalis et borealis ramis vero secundariis, jugi *Morena* occupatur. Fluvio *Segura* alluitur, qui multis undique rivis auctus, prope urbem *Murcia* inflectitur versus *Valencia*, cujus partem angustam meridionalem adit et prope *Guardamar* in mare se exonerat. Praeter hunc vix ullum fluvii nomine dignum invenires. Etenim qui praeterea regionem irrigant, sunt potius torrentes aestate sicci, et quum imbres autumnales saepe desunt, nec hieme aquis abundant, uti in aliis regionibus montuosis. Aquarum inopia inde oritur per totam regionem, valle excepta, quam *Segura* perfluit, *Huerta* dicta. Haec fertilissima sine ullo fere labore omnigena profert, et alit, ibique incolae acervatim conferti sunt multi, at in aliis partibus rari. Agricultura in *Murcia* nullo nomine cum illa, qua praecedens provincia gaudet, est comparanda, valle supra dicta excepta, ubivis illa negligitur et vel in hac saepius unicam quotannis messem faciunt ejusdem agri. In *Huerta* ista colunt cerealia, inprimis triticum, et moros. Vitis prope *Carthagena*, *Sar*, *Jumilla*, *Alhana*, *Villena*, et inprimis in agro *Albacetensi*. In vicinia urbis *Carthagena* crescit gramen Spartum [*Stipa tenacissima*], unde apud Romanos *Carthago Spartaria* audiebatur. Crocus et oleae inveniuntur in variis locis. Palmae, citri (*medica* et *aurantium*) hîc illic solitarie tantum occurrunt, in universum arboribus non scatet haec provincia, per multa milliaria saepe iter est faciendum, antequam ullam invenias, frequentius

occurrunt mori et oleae, interdum etiam populi, et nonnullis in locis quercus inveniuntur.

Aquae medicatae hujus provinciae sunt:

Thermae (1).

1. Fons, VII mill. a *Murcia*, loco *Mala* dicto. Balnea, quae ibi inveniuntur, jam jam dilabuntur.

2. Alius, IV mill. ab *Archena*, loco *Fortuna* dicto, ad potum hujus aquis utuntur, quae in magno receptaculo collectae balneo inserviunt.

3. Tertius, inter *Lebrilla* et *Futana*, VI mill. a metropoli *Murcia*, in urbe *Alhama*. Oritur e *monte d'España*. Media urbe in magno receptaculo gradibus instructo balneis utuntur. Est opus Maurorum.

4. Ultimus, prope *Archena*, IV mill. cum dimidio ab urbe *Murcia*. Maurorum tempore thermae ibi inclytae fuerunt, forsan jam antea sub Romanorum imperio (2).

Praeter eos quatuor sunt fontes in caverna *Cueva de San Juan* dicta (3) quorum nullus est usus.

Calidior aëris est temperies, quam in provincia *Valencia*, pro diversa parte varia. In montibus septentrionalibus, eorumque vallibus aestates aeque sunt calidae quidem, sed ver et autumnus temperatior est, hiems saepe frigidissima. In *Huerta de Murcia* et *Campo de*

---

(1) Frigidarum mentionem factam non inveni in catalogo Itinerarii s. l. T. V. sed in descriptione provinciae ipsius refert auctor quasdam vix cognitas et minoris momenti. T. II p. 234.

(2) Monumenta enim Latinis inscriptionibus ibi detexere. DE LA BORDE l. l. V. 494. et II. b. 234. Hoc argumentum tamen non probatur illas Romanae originis esse, nam saepius Mauri usi sunt lapidibus a Romanorum monumentis et aedificiis desumtis.

(3) DE LA BORDE l. l. p. 234.

Carthagena aestas est fervidissima, et cito ver excipiens, autumnus pulcer et amoenus, ipsaque hiems ita calida, ut duobus ad summum diebus opus sit ita dicto *Brasero.* Coelum semper ferme serenum, nubibus rarius tectum, nebulis numquam. Pluvia tam rara est ut interdum vel per totum annum non pluat (1). Urbis ipsius *Murcia* coelum est calidissimum (2), aestate mercurius saepe in umbra ad 30 gradum R. adscendit. In aprico horis meridianis paucae minutae sexagesimae horae partes sufficiunt insolationi provocandae. Interdiu quisque domi manet, vespere tantum exire licet. Fluvius *Segura* et innumeri canales peculiarem afferunt humiditatem, quae interdiu ferventibus radiis solis cito dispergitur, sed vespere eo magis sentitur, hinc vel mensibus Julio et Augusto horis 8—9 vespertinis vestimenta madida fiunt (3).

(1) Inde vocatur *El Reyno serenissimo*, DE LA BORDE II. b. 235. FISCHER l. l. 31.

(2) DE LA BORDE II b. 192 sq. FISCHER 30 sq.

(3) Humiditatem istam FISCHER in ( ) *el sereno* vocat, nulla addita auctoritate neque explicatione. DE LA BORDE (saltem in operis editione, qua ego usus sum) nihil hac de re dicit. Si haec denominatio talis revera est, ex urbis privo instituto forsan derivanda videtur: custodia scilicet nocturna urbis, eo magis necessaria, quod lumen publicum nondum ibi invenitur (ipsa plebs, quum initio hujus saeculi, candelae publicae essent constructae, rerum novarum non amans, simul omnes machinas fregit), hominibus mandata est face instructis, qui per urbem ambulantes horam et constitutionem aëris indicant. *Sereno*, *Sereno* sexcenties repetitum, cum rarius alia tempestas quam serena observetur, ipsis clamantibus idem nomen dedit. Horis vespertinis officio suo fungi incipiunt, unde hoc tempus etiam *Sereno* vocari potest (quasi hora quo *Sereno* obambulat), unde dein ipsa humiditas vespere frequens idem accipit nomen.

Supra vidimus regionem fertilitate et cultura summopere a vicina *Valencia* differre, nec minus discrimen nunc cernemus inter incolarum dotes animi et corporis. Sunt staturae mediae, generatim magis quam ceteri Hispani ad obesitatem dispositi, quod in urbibus saltem a vitae genere repetendum. Faciei color non est fuscus et quidem talis, qualem Angli dicunt *sunburnt*, aestate etiam in septentrionalibus obvius, sed flavus imo lividus. Tristi colori respondet, indoles morosa incolarum et melancholica. Laborem oderunt, ditiores tempus, a coenis et somno quod superest, *Cigarro* terunt, fabri et opifices numquam majori labore, quam ad vitam sustentandam necessario fatigantur. Vitam agunt sedentariam ita, ut ipsa obambulatio potius grata iis sit quies. Meridiationem [*Siesta*] hieme ad duas horas protrahunt, aestate longius saepe. Diaeta satis lauta, bis jentaculo, primo succolata, altero pimento utuntur, tum prandio et ad ejus finem succolata, denique coena. Cibi rarius exquisiti sunt, pimento abutuntur bis terve de die, sic etiam aqua glaciata. Quid igitur mirum, tali victu et diaeta morbos hypochondriacos et varias hepatis affectiones ibi tam communes esse. Vita publica est eodem modo comparata, gaudia desunt, musica et saltatio nulla eos delectatione afficiunt, dum in utraque provincia vicina *Valencia* et *Andalucia*, utraque summo studio, imo impetu quodam animi colitur. Summopere post coenas delectantur tabaci fumo [*cigarro*] qui perpetuus fere eorum comes est.

Praeter morbos hepatis occurrunt in hac provincia febres tertianae, quae aestate frequentiores cum sint, saepe characterem malignum assumunt. In partibus hu-

milibus urbis *Carthagenae* (1) v. c. quotannis grassantur, ibique etiam putridae valde sunt communes.

Andalucia (2) [Baetica]. Vandalitia (3). Dividitur politice in regna *Iaën*, *Cordoba*, *Grenada*, *Sevilla*, naturae vero legibus, montibus et fluminibus in tres alias partes magis distinctas, terminisque magis characteristicis circumscriptas. Harum duae admodum sunt montuosae, intermedia vero pars est plana et humilior. Pars nempe septentrionalis latere occidentali ad meridiem vergens, formatur declivitate meridionali jugi *Morena* et hujus ramis secundariis *Sierra Arroche*, *de las Santas*. Meridionalis eodem modo inflexa formatur *Sierra Nevada*, *S. Jaguas*, ceterisque jugi primarii ramis ac littore australi. Inter haec duo juga vallis extenditur, quam flumen *Guadalquivir* perfluit in directionem Africi. Supra de hisce partibus fusius egimus, ulteriorem descriptionem igitur relinquamus et quaedam tantum de aëris temperie et incolis in universum

---

(1) De topographia medica hujus urbis Cf. J. F. MIMAUT, *Mémoire sur la nature des maladies endémiques à Carthagène. Paris 1819.* Quem librum non amplius prostantem frustra mihi comparare conatus sum.

(2) Baetica sub Romanis et Vandalitia usque ad Maurorum imperium communi nomine complectebatur, quae postea ex dissidiis orta sunt regna: *Iaën*, *Cordoba*, *Grenada*, *Sevilla*. Haec etiam fugatis Mauris in regno Hispanico distinctae provinciae mansere; *Sevilla* strictiori sensu nomen *Andulucia* retinuit, sed, ut DE LA BORDE animadvertit, immerito; illum secuti, generaliori sensu voce intellecta hujus regionis tractationem simul absolvemus.

(3) Nomen derivatum a Vandalis, populo migratorio qui post Romanos Hispaniam occupavit. Primo regionem vocatam putant *Wandalenhaus*, (*Vandalorum domus*), unde corrupta *Andalucia*. DON JUAN ALVAREZ DE COLMENAR. l. l. III. 484.

dicamus, antequam ad ipsam morborum recensionem accedamus.

Quamvis magis meridiem versus sita haec sit regio, tamen coelum non ita siccum et ardens est quam in *Castilia la Nueva* et maxima planitiei editae interioris parte. Varia est soli natura, juga montium, flumina et valles obliquae hujus in causa sunt. Calor potius benignus, mitis et fovens, splendidam gignit vegetationem. Aestates in vallibus partis meridionalis sunt fervidissimae, hiemes in utraque montuosa frigidae satis, in valle intermedia temperies aëris magis est aequabilis, quia ipsis jugis *Morena* et *Nevada* cum ramis secundariis tum ab Aquilonibus tum ab Austro tegatur. Multum quoque flumen *Guadalquivir* ad aërem refrigerandum confert, sic in urbe *Sevilla* coelum est serenum ac pulcherrimum, calor amoenissimus. Ventus marinus satis alte in terras penetrans incolis est immenso benificio. *Solano*, veterum plumbeus Auster, interdum urenti ardore aërem incendit. Hiemes sunt mites adeo, ut nix et glacies ibi prorsus sunt incognitae. *Cadiz* aeque salubris est. Hiemes ibi similes sunt veri in Europa media. Aestate per totum diem, horis meridianis 10—1 exceptis, ventus marinus aërem refrigerat; *Solano* frequentior est quam in *Sevilla*, et saepe vix tolerabilis. *Malaga* situ peculiari in imo sinu nec coelum habet minus benignum et amoenum, praeterquam quod magis exposita sit ventis variis inter Austrum et Solanum intermediis. *Solano*, prae ceteris, nocendi vim habet.

Agricultura per totam *Andulucia*, si cum aliis Hispaniae provinciis comparas, floret, et inprimis vallis fluminis *Guadalquivir* hoc nomine summas meretur laudes. Sin contra statum hodiernum cum pristino sub

Maurorum imperio comparamus, maximum inveniemus discrimen; tum temporis totius Hispaniae longe pulcherrimus erat tractus ac fertilissimus. Hortus continuus, in Arabum scriptis quasi paradisus terrestris laudatus, *Sevila*, *Ecija*, *Cordoba*, *Jaën*, urbes erant incolarum numero et splendore inclytae, innumeri vici et pagi per vallem dispersi, magni populi testantur industriam. Nunc vero ingentes tractus hujus horti in ericeta mutati, cistis nunc teguntur, quae olim frumento. Ita fertilis autem haec regio est, ut semper adhuc duplo majorem cerealium quantitatem producat, quam usus incolarnm postulat.

Aquae medicatae in *Andalucia* abundant, dolendum vero plurimas non usu venire. Inter illas potissimum distinguendae:

I. Frigidae.

Regnum *Jaën*.

1. *Marmolejo*.

2. *Lisada*, prope *Peñuela*.

Regnum *Cordoba*.

1. *Gonzalvillo*.

2. Fons in *Cuervo*, tractu minus extenso, V mill. a *Medina Sidonia*.

Regnum *Granada*.

1. *Benabre*.

2. Alius fons in linea alba (1) *Sierra Vermeja*. Ferruginosus.

3. *Aldeira* (*la fuente del barranco de la luna*).

---

(1) Vide notam ad num. 1. Catalogi thermarnm.

4. Plures *Guardias Viejas* dictae, in agro *Adrensi* [*Adra*], in montibus *Alpuxarras.*

5. Fons in vico *Piedra*, III mill. ab *Antiquera*, IV ab *Archidona.* Laudatur propter vim, qua valet in calculum vesicae.

6. Alius in pago *Berchul*, in montibus *Alpuxarras* situs, continet gaz acidum carbonicum.

Regnum *Sevilla.*

1. Fons loco *Chiclana*, IV mill. ab urbe *Cadiz.* Sulphurosus (1).

2. Alius loco *Calana*, in Comitatu *Nirbla la Coronada.*

II. Thermae.

Regnum *Granada.*

1. Quaedam in linea rufa (2) jugi *Vermeja.* Sulphurosae ad usum non valent.

2. *Hardalez*, prope *Malaga.* Ad balnea et potum aquis utuntur.

---

(1) Cf. J. L. ALIBERT. l. l. p. 596.

(2) La *Sierra vermeja* dans le royaume de Grenade présente une singularité remarquable : » elle est formée par une » chaine de montagnes qui se prolonge à l'ouest vers *Malaga.* » Cette chaine se développe sur deux lignes paralleles et tel- » lement contigues que leur bases se touchent ; l'une la plus » élèvée est rousse, l'autre la moins haute est blanche. La » premiere est sans neige pendant plusieurs mois de l'année, » la derniere est presque toujours assez couverte de neige » pour en approvisionner les lieux voisins. La premiere est » couverte de sapins, la derniere est garnie de rouvres (*Quer-* » *cus Robur*) et d'yeuses (*Quercus Ilex*). On trouve sur la pre- » miere une source d'eaux minérales sulfureuses thermales, » et sur la derniere des eaux minérales ferrugineuses froi- » des. On n'a jamais trouvé aucun vestige de mine sur la » premiere, on trouve des mines de fer en grains sur la der- » niere." DE LA BORDE. l. l. I p. 481.

3. Alius dimidio milliario ab *Graena*, et primo cum dimidio ab *Guadix*. Ibi Thermae.

4. Alius ad radicem montis *Javal-Cohol*, III mill. a *Baëza*. Aqua abundantes calidissimae sulphurosae. Thermae vocantur et *Baños de Javal-Cohol* et *Baños de Abu Zulema* (1).

5. Alius (2) in agro Belermensi [*Belerma*], pagus inter *Paterna* et *Alcolea* in montibus *Alpuxarras*. Thermae ad usum minus accommodatae.

6. Plures fontes in ora fluvii in vico *Alcolea*, in montibus *Alpuxarras*, II mill. ab *Auxar*. Sulphurosae, quibus ad thermas et potum utuntur.

7. Fons in vico *Alhama la seca*, in *Taha de Marchena* sito. Quamvis calida ad potum vulgarem, non item ad usum medicum incolis inservit aqua, alia carentibus.

8. Alius ad quartam partem milliarii ab *Alhama de Grenada*. Continet hepar sulphuris. Thermae in duas pelves magnas divisae. Praeterea ad potum aptae.

9. Alius demum I mill. ab urbe *Almeria*, calidissima sulphurosa. Potui, balneis, et vaporariis inservit.

10. Plures in urbe *Caratraca* (3).

Regnum *Sevilla*.

1. *La fuente de la Sarna* [fons Scabiei], prope *Bornos* II mill. ab *Arcos*, sulphurosa. Potui et balneis inservit. Thermae ibi constructae.

2. *Medina Sidonia* (4), sulphurosae.

---

(1) Nomen pagi vicini, per obsidionem urbis *Bara* a FERNANDO V destructi. DE LA BORDE. l. l. V p. 488.

(2) Hunc, ut est probabile, describit ALIBERT l. l. p. 596. nomine *Paterna de la Rivera*.

(3) Harum descriptionem vide apud ALIBERT l. l. p. 590. Sunt 66° Fahr. unde aestate apparent frigidi, hieme calidi.

(4) ALIBERT l. l. p. 597.

Incolae generatim sunt staturae mediâ paullo inferioris, feminae inprimis parvae, sed justa membrorum et artuum proportione ac faciei pulchritudine, inter omnes Hispanas eminent; praesertim in regno *Granada* has laudes merentur, quaeque *Malaga* et agrum vicinum inhabitant vel inter hasce primum locum obtinent. Vestium ornatu eleganti admodum a vicinis Murciis differunt. Viri sunt robusti, agiles, facie fusca, sed laetioris coloris, quam Murciorum nempe plumbeolividi. Capilli et oculi nigri. Indole atque moribus etiam summopere a vicinis differunt, sunt enim gloriosi, loquaces, in animi motus vehementes proni (1). Diaeta sobrii sunt, a Castiliae utriusque incolis tamen hac virtute superantur. In partibus maritimis piscibus vescuntur sale conditis et siccis, carne suilla recenti et sale condita, macaroni, oryza, pane et oleribus, *Olla podrida*, cujus usus est generalis. In urbe *Gibraltar* praeterea pulmento *Gespacho* (2).

Morbi endemii. In valle fluminis *Guadalquivir* febres grassantur tertianae, quum flumen saepius limites egressum arva, agros, prataque inundet. Omnes inundatio-

---

(1) » Les Andalous sont les Gascons de l'Espagne, ils n'ont ni » la fierté froide de l'Aragonnois, ni la pétulance des Bis» caiens, ni la rudesse des Catalans, ni la nullité des Valen» ciens." De la borde l. l. II b. 153. Vide etiam apud illum homines *Majos* et *Majas* dictos descriptos eodem loco et III p. 381. Praesertim quae de feminis *Majas* habet (apud willaume l. l. p. 123 etiam obvia) dignissima sunt, quae legantur.

(2) *Gespacho* loco *despacho*, ut significarent celeritatem qua cibus conficitur, constat ex aqua, aceto, oleo, capsico, allio, sale debita proportione in olla lignea mixtis, quibus immergunt frustam panis. Meridie eo vulgo utuntur, bennen l. l. p. 78.

nes, quarum praecipue locum habuere annis 1297, 1507 1544, 1545, 1626, 1649, 1758, 1783, secutae sunt epidemiae febrium intermittentium malignarum (1). Communes praeterea sunt: febris biliosa, potissimum aestate, morbi hepatis, haemoptisis, phthisis pulmonalis, affectiones nervosae, hysteria, hypochondria, asthma siccum, apoplexia (2).

Tractus maritimus Hispaniae meridionalis potissimum vim sentit malignam venti *Solano*, qui, ut supra vidimus, interdum usque in regionem humiliorem mediam se extendit. Utraque in parte vero non ejusdem est naturae, ex Africae desertis progressus, in decursu transmarino aquae vaporibus satiatur, summam humiditatem summo calori jungit, haud secus ac *Scirocco* in aliis littorum maris mediterranei partibus. Mox autem *Sierra Nevada* aliaque juga montium trajiciens, aridis, ac nudis rupium lateribus ab omni humiditate, quam avidissime bibunt saxa fervida, liberatur. In valle igitur tantum calore intenso siccissimo insignitur. Secundum hanc naturam diversam etiam effectus est varius. In valle circulationem sanguinis incitat, ad caput justo hujus fluidi majorem copiam allicit, inflammationem sic meningum, indeque varias affectiones cerebrales provocat. Multi tum delirio quodam laborant, feminae vehementiore animi impetu fiunt in venerem pronae.

---

(1) Varias reflexiones sobre las inundaciones del Rio Guadalquivir etc. por DON CRISTOVAL NICTO DE PINÀ *Vol. III. de las memorias de la real sociedad de medicina de Sevila.* (Cit. WILLAUME. l. l. p. 86.)

(2) DON VALENTIN GONZALEZ Y CONTANO, Disertacion medica sobre les enfermedades que son mas frequentes et Sevilla Act. s. l. T. V. (WILLAUME l. l. p. 87. Haec opera non vidi).

Mania atque furor Austro flante sunt frequentiores. Inde explicandum cur hoc tempore, inprimis mensibus Julio et Augusto, homicidia levissima saepe de causa perpetrata, sint multo frequentiora quam alio anni tempore. Symptoma commune de quo maxime hoc flante vento queruntur, est dolor lateris, quod probat naturam siccam, ardentem inflammationis movendae occasionem egregie praebentem. In littore ipso proprietate humida calori juncta mentis facultates ac vim vitalem deprimit, partium solidarum ac fluidarum tonus ut amittatur efficit et eas celeriori corruptioni obnoxias reddit. Hinc ibi praesertim veterum epitheton plumbei Austri meretur. Sin vero hunc venti maligni perniciosum effectum excipias, tractus hic salubrior est, quam vallis supra laudata. Merito *Cadiz* variis laudibus salubritatis famam consecuta est situ suo, cui imprimis hoc emolumentum debet, jacet nempe in promontorio angusto, quod valde patet ventis marinis. Chronico morbo laborantes optimum in hac urbe invenient asylum. Haemorrhoides saepius intra paucos menses quasi per incantamentum disparent (1).

Variis temporibus littus et inde passim tota *Andalucia* dirissimo afficitur morbo regionibus tropicis potius proprio. Febrem flavam indicare volo, inter morbos humano generi infestos eminentem. Vulgo vel in *Cadiz* vel in *Malaga* primo observatur, unde tum ad alias partes defertur. Non inquiramus in naturam hujus morbi endemiam vel epidemicam, neque historiam originis seu primi ortus tradamus, cum illud huicce argumento nostro minus sit proprium, ad nostrum

(1) Fischer. l. l. p. 29.

scopum nil faciat, et praesertim res sit dignissima, quae speciatim fusius tractetur; verbo tantum moneamus A°. 1730—31 hunc morbum primo in Hispania fuisse observatum, tum A°. 1738 iterum apparuisse simul cum dysenteria, quae totam occupavit *Andalucia*. A°. 1741 urbem *Malaga* devastavit, 1744 et 1745 *Cadiz*, 1800 utramque et *Sevilla* (hoc anno in provincia circiter 48000 periere, quorum 10 millia in urbe *Cadiz*, 20—22 *Sevilla*), 1804 et 1810 *Gibraltar*.

Urbis *Gibraltar*, variis de causis fideli observatione dignae, Doct. HENNEN topographiam medicam (1) dedit omnibus numeris absolutam, unde haec quae sequentur mutuavimus, quae ad totius provinciae descriptionem multum conferre possunt. Morbi incolarum communes optime ad tria reducuntur genera, febres puta, affectiones pulmonum atque morbos cutaneos chronicos. Ex aegrorum in tabulis recensione patet, inter omnes morbos febres esse frequentiores et quidem remittentes. Quotannis v. c. autumnali tempore grassatur illic febris remittens biliosa. Neque intermittentes desunt, quamvis rariores (2). Praeter epidemice grassantem febrem flavam, diri morbi genuina in nosocomio militari et in

(1) Sketches of the medical topography of the Mediterranean: comprising an account of Gibraltar, the Jonian Islands and Malta, at which is prefixed, a sketch of a plan for memoirs on medical topography. By JOHN HENNEN M. D. F. R. S. E. edit. by his son J. HENNEN M. D. Lond. 1830.

(2) ALEXANDER SMALL affirmat febres tertianas in urbe *Gibraltar* raras esse. Cf. Mr. SMALL's observations of the Island of Minorca, extract of a letter from A. SMALL Surgeon to the train of Artillery at Minorca, to sir JOHN PRINGLE Bart. P. R. S. dated St. Philips Aug. 1775. *Philos. Transact.* Vol. LXVI. *part.* 2. p. 446.

praxi civili, quovis anni tempore, inprimis vero aestate et initio autumni, exstant exempla. Morbi pulmonum tam crebri observantur, ut jure endemici in hac rupe dicantur. Uti in aliis maris mediterranei locis, morborum, inprimis phthiseos tuberculosae, decursus celerrimus, et multo citius quam in Septentrionalibus tragoedia absolvitur (1).

Inter morbos cutaneos species quaedam elephantiasis recentiorum (*Barbadoes leg*, HILLARY, *Bucnemia*, GOOD et HENNEN) praesertim apud Judaeos pauperes est frequens. Cutis crurum, interdum etiam scroti et rarius aurium, alarum nasi, peculiari, eodem ferme modo, ac in vera elephantiasi incrassatur. Nisi ad eum pervenerit gradum ut motus impediatur, summa incuria ab aegris tractatur, atque vix morbi nomine dignum censetur hocce malum. HILLARY, qui morbum optime in insula *Barbados* observavit (2), testatur semper febrem praecedere, in urbe *Gibraltar* autem vulgo sine paroxysmo febrili praegresso oritur et stadia lentissime absolvit. Hujus morbi causa admodum difficile eruitur et extricatur, pendere videtur a momentis prorsus topicis, quia non invenitur loco *Algesiras* dicto in parte opposita sinus, neque in interioribus Africae borealis regionibus, quamvis frequenter in urbibus quibusdam maritimis occurrat. Cura difficillima, frustra hucusque tentarunt crura ad pristinam reducere crassitiem (3).

---

(1) Cf. quae supra, de littore Gallico et Genuensi agentes, hac de re dicemus.

(2) Cf. W. HILLARY, Observations on the change of air and concomitant epidemic diseases in the Island of Barbados. London, 1759. Cit. HENNEN l. l. p. 120.

(3) Plura de hoc morbo qualis in insula *Barbados* occurrit in-

Inflammationes viscerum abdominalium sunt minus frequentes, hepatitis v. c. non ita communis est ac quis ex aëris calore conjiceret. Splenitis et praesertim nephritis adhuc rarius occurrunt.

Cholera et dysenteria praesertim advenas occupat. Errores diaetae, usus immoderatus aurantiorum et vinorum dulcium saepius in causa sunt. Neutra vero periculosa sunt.

Symptoma dein, quod revera morbus dici nequit, frequentissime occurrit, et totas saepe familias simul occupat, est ita dictum *prickly heat.* Ad finem nempe aestatis digiti, brachia, crura et nonnumquam totum corpus tegitur parvis vesiculis citissime in suppurationem transeuntibus. Nihil autem nocent sed potius salutares habentur, sunt tamen perquam molestae. In calidioribus regionibus, praesertim in tropicis (1), crebro occurrunt, passim etiam in temperatis aestate solito

---

venies apud P. RAYER l. l. II, 841, qui praeter W. HILLARY etiam citat: JAMES HENDY, *A treatise on the glandular disease of Barbadoes.* 8° *London* 1784. Auctor morbum elephantiasi Arabum analogum dicit, illique eodem nomine conjunxit. Et apud SCHMALZ l. l. p. 17 n°. 124, qui morbum rheumatismum vocat lymphaticum (in contextu ipso synonymon *Bucnemia* oblitus est, quod in indice invenies). Inflammationem vasorum lymphaticorum in cruribus potissimum obviam morb habet causam proximam, qua dein tela cellularis vicina ipsaque cutis induratur, et hypertrophice turget. Haec vulgo praecederet Elephantiasin recentiorum (n°. 240).

(1) Cf. v. c. *Notiz. a. d. Geb. d. Nat. u Heilk. von* v. FRORIEP. No. 1029 p. 257. »Der Hitzausschlag [*bourbouilles*] ist ein Uebel welches nicht viele Leute, die auch schon lange in Indien »gelebt haben, den grossten Theil des Jahrs hindurch zu ver»schonen pflegt; während der heissen Jahreszeit leidet jeder»mann daran. Ich (VICTOR JACQUEMONT) machte es wie die andere,

calidiori (1). Schmalz (2) eas refert ad *Hydroa aestivum*, et dicit calorem humidum in cute tenera inprimis ad illas disponere. Hinc intelligitur cur in calidioribus regionibus potissimum peregrini illis afficiantur, ut pote qui maximam partem teneriorem cutim habent quam indigeni.

Praeter febrem flavam inter epidemias, quae urbem vexarunt notari merentur scorbutus A°. 1780, febris catarrhalis seu *Influenza* A°. 1780.

Doct. donald monro (3) brevem constitutionis annuae descriptionem dedit. A medio Novembre usque ad finem Martii tempus maxime opportunum est, quo milites e navibus descendi debent, tum enim coeli temperies regionis non tantopere diversa ab ea, quam relinquunt. Sin contra Junio — Septembrem adducuntur, calor insuetus, qui in ultimis duobus mensibus urens ferme fit, multos graviter afficiet; morbi biliosi et putridi tum inter advenas horrendas strages edunt. Mensibus Octobre et Novembre sub imbribus autumnalibus, catarrhi initium capiunt, quos excipiunt inflammationes, Decembre et Januario vulgo siccis continuae. Numerus aegrorum his mensibus valde imminuitur. Frigus Februario et Martio mense imbribus vernalibus mitigatur, grandines et venti Septentrionales [*Highwinds*] saepius ingruunt.

»aber sobald die Regenzeit kam, wurde ich davon befreit »während viele Leute in meiner Umgebung sich noch immer »darüber zu beschweren hatten."

(1) Sic A°. 1831 fervidissima aestate multi Academiae Lugduno-Batavae alumni militiam profecti, in urbe *Eindhoven* hoc malum passi sunt.

(2) l. l. Pag. 233 n°. 1980 synonyma adjicit: sudamina, desudatio, suffersurae, sudorum papulae.

(3) In libro, cui titulus: *on the health of soldiers.* Cit. hennen

Morbi sensim ad characterem autumnalem iterum accedunt. Inter omnes pulchritudine et coelo amoeno eminent Aprilis et Martius, qui ad morborum numerum et vehementiam minuendum magni sunt momenti.

Vulgaris senum proportio in urbibus offenditur, si cum aliis Europae Australis locis comparatur, cum media et septentrionali vero certare nequit (1).

Ad finem auctor tradit catalogum omnium auctorum, qui de urbe *Gibraltar* egere, hunc vero nimis longum silentio praeterimus.

Ex iis quae de Hispaniae meridionali vidimus sequitur:

1. Neque illam partem febribus tertianis immunem esse, sed has in littore maritimo et in valle fluminis *Guadalquivir* epidemice grassari.

2. Littus Australe variis temporibus dirissima febre flava devastatum fuisse, sitne morbus vere endemicus, ut paucissimi putant, sitne forinsecus adductus, ut plurimorum est sententia.

3. Obvii fiunt in meridionalibus Hispaniae morbi hepatis frequentiores.

4. In quibusdam locis nec desunt morbi pulmonum nec cutanei chronici.

Superest ut de morbo videamus in Hispania endemio, cujus mentionem in superioribus non facere potuimus, quia loci peculiaris determinationem nusquam inveni, dicitur *Fegar* (2) seu *Fegra* Hispanis, *Fégarite*, *Fégrite*,

(1) Exstat exemplum mercatoris Angli nomine HOLLROYD 96 aetatis anno defuncti. Alius rupis incola 101 et femina 103 attigit. HENNEN l. l. 183.

(2) Cf. OZANAM l. l. V. p. 295-298. Journal de Médecine Août 1812 p. 354. Allgemeine Medicinische Annalen 1813 p. 505-508.

Fègre Gallo-Francis, et hisce distinguitur symptomatibus. Oriuntur primo puncta quaedam nigrescentia, parum elata, in uno alterove oris latere, a commissura labiorum juxta ductum Stenonianum usque ad ultimum dentem molarem, rarius in margine et in parte inferiore linguae. Aliquot horis post eruptionem exulcerantur et adspectu fiunt sanguinolenta et livida. Partium circumdantium color est rubro-vinosus; majori minorive gradu inflammatae sunt, neque tamen dolent. Interdum sanguis ex illis destillat, vel etiam ex ulceribus manat, quae quidem haemorrhagiae in morbi decursu variis temporibus de novo conspicuae fiunt. Os exinde sanguine madidus habitum refert scorbuticum. Jam ab initio morbi os foetide olet, saporis est urinosi atque ammoniacalis, et repletur muco acri viscido. Rarius aegri febre corripiuntur nisi interdum ipso infectionis die. Appetitus vix afficitur, imo saepe augetur. Functiones generatim congrue peraguntur nisi morbi stadio provectiore. Altero seu tertio die ulcus excrescit in cristam seu conum basi latiore, fungosum, durum, unde ichor rufus, foetidus destillat. Glandulae parotides et submaxillares obstruuntur, facie tumida ac pallida fit, dentes nigrescunt eo latere quo malum inhaeret, rarius utroque. Ulcera vel gangraenescunt, tumque ossa maxillaria celerrime carie consumuntur et paucis horis dira mors miserum aegrum in cadaver squallidum adspectus revera horrendi mutat, vel ulcera in ore extenduntur, diarrhoea oboritur colliquativa et marasmo quo lentius pereunt. Cadaveris sectio ostendit glandulas, membranas musculos oris, unicam quasi massam putridam carbonaceam factam; facies externa ossis maxillaris inferioris carie erosa usque ad basin alveo-

lorum dentium molarium, palatum maculis tectum nigris, lingua livido-flavescens, ulcerosa, tumida ita ut totum os repleret, frenulum, glandula sublingualis, tonsilla dextra et uvula penitus corrosa.

Si ab initio morbus curatur vulgo ad sanitatem restituendam conducunt frictiones linimenti ope volatilis in glandulis, gargarisma tonicum antisepticum (cortex peruv. cum tinctura myrrhae et acido muriatico). Ulcera humectanda sunt solutione sulphatis cupri. Potus optimus acidulus sit *limonata* ex vegetabilium succo vel salium et acidorum ope parata.

Primus morbum descripsit Doct. MONTGARNI (1) postquam anno 1810 illum apud milites Gallo-Francos observavit. In urbibus *Madrid* et *Toledo* v. c. multi hunc morbum passi sunt.

Praeter haec paucissima nihil de morbe mihi innotuit. De Hispania autem haec sufficiunt.

---

(1) Videtur opusculum ab illo de hoc argumento conscriptum, cujus ne titulum quidem inveni.

CAPUT SECUNDUM.

INSULAE MARIS MEDITERRANEI.

1. INSULAE BALEARES ET PITYUSAE.

AUCTORES.

A. DE LA BORDE, l. l. III, 429—512.

L. L. FINKE, l. l. I, 26—29. III, 53—54.

ARMSTRONG, Beschreibung der Insel Minorka. Aus dem Englischen. Göttingen 1734. Cit. FINKE. [Librum non vidi].

GEORGE CLEGHORN, Observations on the epidemical diseases in Minorca from the year 1744 to 1749, to which is prefixed, a short account of the climate, productions, inhabitants and endemial distempers of that Island. London 1751. (Hujus operis versio Germanica prodiit Gothae 1775).

Pertinent hae insulae ratione politica ad Hispaniam cujus provinciam constituunt nomine *El Reyna de Mal-*

torca. Illas hanc ob causam ab Hispania sejunxi, quia praestare putavi Insulas Maris Mediterranei, de quibus acturus sum, eodem amplecti capite, ut magis opportuna dein mihi foret occasio, absoluta earum descriptione, quaedam quasi corollaria adjungendi.

Regnum ita dictum *Mallorca* complectitur Insulas: *Mallorca*, *Menorca*, *Cabrera*, *Iviça* seu *Ibiça*, *Formentera*, *Conigliera* seu *Coneyera*, *Espalmador*, *Espartell*, *Tayomeyo* seu *Tagomagu*, *El Bosque*, *Dragonera* et quasdam alias. Tres priores olim dicebantur Baleares, ceterae Pityusae, quae, *Iviça* et *Formentera* exeptis, non inhabitantur. Sitae in directione Cauri ad Africum et spectant *Catalunā* ac *Valencia*. De praecipuis ordine deinceps agamus.

Mallorca, Mayorca, Majorica, Insula major.

Insula quinquaginta milliaria [*lieues*] in circuitu patet. Ab omni parte ferme circumdatus jugis, cujus ramus hîc illic interruptus ad mediam usque procedit insulam et regionem in duas partes fere aequales dirimit. Montes sunt altiores, quam in ceteris insulis, et vallibus fertilibus alternantur. Rivi satis magni e montibus descendunt, et regionem irrigant inter quos eminent duo, qui parvulis ferme similes sunt fluviis, multique praeterea torrentes. Duo stagna, quorum mentio fiat digna, in insula inveniuntur; aliud prope *Palma*, *El Prat* dictum, aliud inter *Alcudia* et mare, nomine *Abufera*, utrumque profert miasma paludosum. *Palma* et *Alcudia*, quas modo attigimus, urbes sunt praecipuae; olim plures fuere, quae nunc potius vocari merentur vici et pagi. Utriusque sinus omni navium genere frequentatur, prior tamen majori numero.

Aër insulae, quamvis pro variis locis varius sit, in

universum tamen amoenus est, montes enim alti in littore ventos vehementiores Caurum et plumbeum Austrum [*Solano*] avertunt, vel saltem mitigant, in parte septentrionali sola interdum ventorum vis arbores sternit; per hiemem calor medius est 13° 75 Ctg. interdum adscendit ad 20°, rarissime usque 8°—7° descendit. Per aestatem vulgo manet inter 25°—26°, augetur interdum ad 30°, numquam ferme ultra 22° 5 imminuitur. Ventos marinos quotidie aestum temperare, nemini mirum videbitur.

Solum fertile magnam fructuum australium abundantiam profert, oleta et citreta inter pulcherrima totius Europae meridionalis referri merentur; vites ad finem Junii uvis maturis abunde ornantur. Gossypium, palmae, ficus, *Arbutus Unedo*, splendidam vegetationem spontaneam excipiunt. Cerealia usque ad 40-fariam messem praebent. Mororum cultura sensim augetur, sed propter summam quam bombyces postulant curam, admodum lente procedit. Crocus frequens colitur.

Prope *Campos* thermae sulphurosae *la fuente santa* seu *fuente de San Juan.*

Incolarum mores propius *Catalanis* accedunt.

Menorca, Minorica, insula minor.

Nomen tantum si spectes superiorem insulam meretur, alioquin ceteras omnes magnitudine longe superat. Patet triginta octo milliaria in circuitu. Forma quidem insulae *Mallorca* quadrata seu rhomboidea est, at hujus oblonga, angusta, parumper incurva. Montes alti in illa non reperiuntur, est quidem solum admodum inaequale, sed vallibus potius exaratum profundis, quas vocant incolae *Barranchi.* Habent hae initium media in Insula et ad littus usque sese extendunt. Pars,

quae ad Africum vergit, est planior quam illa quae Aquilonem respicit, ubi colles sunt altiores et valles paludosae, hinc illa satis insalubris habetur. Major pars autem rupibus obsita, sylvis referta. Rivi paucissimi occurrunt, aestate omni fere aqua carentes. Paludes quaedam exstant et lacus subterraneus in caverna dicta *la Cava perella;* hujus aquae salsae forsan e mare proveniunt, conjunctio hucusque prorsus incognita mansit.

Solum minus est fertile, quam *Mallorca*, quia pars septentrionalis omni ventorum vi exponitur, arbores ibi crescunt parvae, meridiem versus inflexae, solum in planitie est argillosum multo sterilius, quam in collibus et montium declivitatibus; valles prae ceteris foecundantur detritu, quem imbres quotannis secum e montibus trahunt. Agricultura satis cum illa, quae propria est insulae *Mallorca*, convenit et eadem ferme profert, quae in praecedenti enumeravimus.

Summum inter utramque insulam est discrimen, quod attinet ad aëris temperiem, quae in insula *Menorca* neque tam amoena neque tam grata est, quam supra memoravimus in insula *Mallorca.* Causa non latet, namque tota pars Septentrionalis exposita ventis vehementioribus, neque meridionalis a *Monte Toro* ita tegitur uti insula *Mallorca* montibus suis altioribus. Brumali tempore frigus interdum vehemens est, quamvis ibi nix et glacies raro observentur. Aestate calor sub Euro saepe ad 29° Ctg. usque adscendit. Autumno imbres cadunt vehementes et continui. Ver aëre saepius puro temperieque grata juvat. Cleghorn dicit coelum ibi rarius densis nebulis esse tectum; aestates siccas, serenas et fervidas inprimis mense Augusto et Septembri,

autumnos varios atque mutabiles, secum ferre nunc coelum serenum nunc nebulosum, nunc procellas regionem verberantes, universum autem humidos et calidos reperiri. Per hiemem procellae nec frequentes sunt nec diu durant, sed perquam violentes esse solent. Remissis autem ventorum flatibus tempestas serena redit. Ver mutabile magis ad hiemem quam ad aestatem accedit. Idem auctor post diligentem tempestatum et quotidianam temperaturae observationem, quam per quinque annos continuavit, tabulas struxit meteorologicas, unde non abs re erit summarium mutuare, quum unicum sit constitutionis annuae mediae in Europa australi exemplum quod offendi.

Januarius. Frigidus et serenus, nunc siccior, nunc humidior.

Februarius. Frigidus, minus serenus, magis ventosus.

Martius (1). Frigidus et ventosus.

Aprilis. Satis mutabilis, nunc calidus sed temperatus, nunc siccus et ventosus, nunc frigidus et pluvius.

Maius. Vulgo temperatus vel calidus et serenus, interdum pluvius.

Junius. Siccus et calidus, nunc aestuosus, nunc ardens.

Julius. Vulgo calidissimus, interdum vento Septentrione temperatus, saepe aestuosus.

Augustus. Calidissimus, rarius ventis temperatus, interdum aestus prorsus intolerabilis.

Septembris. Vulgo temperatus, humidior et ventosus, interdum calidus, rarius aestuosus.

---

(1) A°. 1746, 3 Martii, nix ad altitudinem pedis unius cecidit et per tres dies arva tegit, CLEGHORN, l. l. p. 95.

Octobris. Serenus, temperatus, mutabilis, frigidus vel calidus, humidus vel siccus.

Novembris. Perquam varius, plerumque coelum nubibus tectum et frigidum, procellae ac imbres interdum ingruunt, interdum coelum est serenum et temperatum.

Decembris. Frigidus et placidus, nunc siccior, nunc humidior interdum ventosus.

Dierum pluviorum sequentem tabulam secundum annotationes Doct. CLEGHORN, composuimus:

MENSES.	NUMERUS DIERUM PLUVIORUM.			Numerus annorum observatorum.	Tonitrua et fulmina in 5 annis
	MAX.	MIN.	MED.		
Januarius. . . .	12	4	6,5	6	0
Februarius. . .	11	4	7	5	0
Martius.	13	2	7	4	1
Aprilis.	9	2	5,2	5	3
Maius.	7	2	5,4	5	4
Junius.	2	1	1,1	5	0
Julius.	5	2	3,3	6	0
Augustus	7	0	3,2	6	6
September. . .	14	6	10,2	5	14
October.	13	4	7,6	5	3
November. . .	11	1	6,75	5	1
December. . . .	8	2	5,75	5	1

Annus siccissimus habuit 68 dies pluvios, humidissimus 74, medius igitur 70, eundem ferme numerum inveniemus, si medium cujusque mensis addamus.

Versus Aequinoctium vernale et autumnale, interdum etiam hieme admodum tumultuosi, aliis anni temporibus sunt venti tranquilliores. Constans ferme ventorum directio diurna haec est, post perfectam quietem matutinam, meridiano tempore aestus temperatur, vulgo vento Solano, qui cursum solis secutus, sensim vehementia augetur usque ad horam alteram vel tertiam pomeridianam, qua silet. Si forte fortuna intermittit, mox in hominum valetudinem perniciosum habet effectum, vires enim subito languescunt, pectus opprimitur, omnisque labor vix ac ne vix quidem tolerari potest.

Septentrio nisi saepe maxima flaret vehementia, et frigus penetrans adduceret, saluber foret, quia nebulas nubesque dispergit coelumque serenum ac purum reddit.

Auster hominum sanitati nocet, humido calido juncto.

Eurus maxime cum superiore convenit. Sub utroque respiratio anxia fit.

Zephyrus vulgo siccior, frigidus et tumultuosus esse solet, at vernali tempore et aestivo aestuosus.

Dolendum est, auctorem observationibus suis quotidianis meteorologicis, directionis ventorum annotationem non adjunxisse, neque summatim indicasse, quales venti quovis anni tempore praecipue regnant. In synopsi meteorologico annorum 1744—49 non cujusvis mensis ventorum directionem annotavit, hinc neque ex illa tabulam supputare possumus.

Rarius pluit, eo sensu quo pluviam accipimus in terrae regionibus nostris septentrionalibus, sed potius imbres magna vehementia e coelo cadunt, praesertim

sub aequinoctiis autumnalibus; torrens seu immensum aquarum agmen e nubibus propellitur, quale numquam in regionibus temperatis videre licet. Hoc anni tempore columnae (turbines aquae, *waterhoozen*) frequentes (1).

Calor dein diurnus vix 2°—3° Ctg. a nocturno differt, qui nempe in umbra observatur, in aprico autem 7°—9° saepe major. Frigus penetrans ventorum Septentrionalium vi provocatum comparari debet cum alio quinque gradus majore in Europae mediae regionibus.

Annuus caloris gradus vix supra 27° Ctg. adscendit, neque infra 8° descendit, rarius gradus 30° et 5° observatus est. In universum tamen rarissime hos extremos attingit, nec diu servat.

Cleghorn ex fideli observatione 5 ad 6 annorum struxit tabulam, e qua nos mutatis gradibus Fahr. in centigrados sequentem composuimus:

---

(1) Cf. Philos. Trans. Vol. 4 part. II. pl. 1. Cit. cleghorn. l. l. p. 7.

ANNI ET MENSES.	TEMPERATURAE. maxim.	minim.	differentia.	media mensis.
Januarius. 1745	13,89	6,11	7,78	11,11
1746	13,89	8,89	5	11,52
1747	15	10	5	12,85
1748	13,89	6,11	7,78	10,82
1749	14,44	11,67	2,77	12,83
media omnium	14,22	8,56	5,66	11,83
Februarius. 1745	16,11	7,78	8,33	12,78
1746	13,89	7,22	6,67	10,87
1747	16,67	7,22	9,45	13,17
1748	15,55	8,89	6,66	12,78
1749	13,89	12,22	1,67	» »
media omnium	15,22	8,67	6,55	12,40
Martius. 1745	17,22	10,55	6,67	15
1746	15,55	5,55	10	12,31
1747	17,22	10	7,22	12,53
1748	17,22	10	7,22	12,94
1749	17,78	11,11	6,67	» »
media omnium	17	9,44	7,56	13,19

ANNI ET MENSES.	TEMPERATURAE. maxim.	minim.	differentia.	media mensis.
Aprilis. 1745	18,33	14,44	3,89	16,55
1746	20	12,22	7,78	15,41
1747	20	13,33	6,67	16,52
1748	18,33	12,78	5,55	16,39
1749	20,55	13,33	7,22	17,09
media omnium	19,44	13,22	6,22	16,40
Maius. 1745	23,33	16,67	6,66	20,14
1746	21,11	17,78	3,33	20,05
1747	23,89	19,44	4,45	21,67
1748	22,22	16,11	6,11	20,12
1749	22,78	17,78	5	20,28
media omnium	22,67	17,56	5,11	20,45
Junius. 1745	27,78	20,55	7,23	23,05
1746	26,11	20,55	5,56	23
1747	26,67	21,67	5	24,44
1748	26,67	21,67	5	24,41
1749	26,11	20,55	5,56	23,44
media omnium	26,67	21	5,67	23,67

ANNI ET MENSES.	TEMPERATURAE. maxim.	minim.	differentia.	media mensis.
Julius. 1744	26,67	21,11	5,56	24,78
1745	26,67	23,89	2,78	25,21
1746	30,55	25	5,55	27,11
1747	28,89	22,78	6,11	26,24
1748	28,89	23,33	5,56	26,20
1749	30	25	5	27,88
med. omn.	28,61	23,52	5,09	26,24
Augustus. 1744	26,67	22,78	3,89	25,03
1745	27,78	23,33	4,45	25,45
1746	27,22	21,11	6,11	24,71
1747	28,89	23,33	5,56	26,74
1748	29,44	23,33	6,11	26,18
media omnium	28	22,78	5,22	25,62
September. 1744	24,44	21,67	2,77	22,81
1745	26,67	20,55	6,12	23,55
1746	23,33	14,44	8,89	19,57
1747	27,22	17,22	10	22,63
1748	26,67	18,89	7,78	23,17
media omnium	25,67	18,56	7,11	22,35

ANNI ET MENSES.	TEMPERATURAE. maxim.	minim.	differentia.	media mensis.
October. 1744	21,67	18,33	3,34	20,11
1745	20,55	16,11	4,44	18,69
1746	20	12,22	7,78	14,82
1747	21,11	16,67	4,44	18,71
1748	22,22	14,44	7,78	18,53
media omnium	21,11	15,55	5,56	18,17
November. 1744	19,44	10	9,44	13,33
1745	18,33	10	8,33	14,55
1746	16,67	12,22	4,45	14,20
1747	19,44	10,55	8,89	15,78
1748	18,89	11,67	7,22	14,50
media omnium	18,55	10,89	7,66	14,47
December. 1744	13,89	6,67	7,22	10,83
1745	15,55	8,89	6,66	11,84
1746	15	12,22	2,78	13,33
1747	17,78	11,67	6,11	14,78
1748	15,55	13,33	2,22	14,12
media omnium	15,55	10,55	5	12,98

Ut anni tempestatum et anuorum completorum meliorem haberemus conspectum, sequentem tabulam mediorum e superiore composuimus:

ANNI TEMPORA.	TEMPERATURA MEDIA.				
	ANNI TEMPORUM.			ANNI COMPLETI.	
VER.	1745	17,23	med. omn. = 16,68	1745	media ex quatuor annis =18°15
	1746	15,92		1816	
	1747	16,91			
	1748	16,48			
	1749	16,85			
AESTAS.	1744	24,49	med. omn. = 25,18	1746	
	1745	24,57		1725	
	1746	24,94			
	1747	25,81			
	1748	25,60			
	1749	25,65			
AUTUMNUS.	1744	18,75	med. omn. = 18,33	1747	
	1745	18,93		1884	
	1746	16,20			
	1747	19,04			
	1748	18,73			
HIEMS.	$17\frac{44}{45}$	11,57	med. omn. = 12,40	1748	
	$17\frac{45}{46}$	11,41		1834	
	$17\frac{46}{47}$	13,12			
	$17\frac{47}{48}$	12,79			
	$17\frac{48}{49}$	13,12			

Aquarum medicatarum catalogum nusquam inveni. Incolae vix ab illis insulae *Mallorca* differunt.

Victus potius vegetabilis est, quam animalis, utuntur inprimis fabis albis [*Phaseolus sativus*, *Mongeta* et *Fesol*] et lentibus [*Ervum Lens*, *Llentias*]; alliacea et alimenti et condimenti nomine creberrime veniunt. Multae hujus generis species in hac insula inveniuntur, tamque frequentes in pratis et arvis occurrunt, ut lac boum et ipsa caro odore et sapore isto penetranti impregnetur. Praesertim utuntur *Allio Scorodopraso*. Neque minor usus est Asparagi turionum. E regno animali pisces majorem victus partem constituunt, quorum in mari circumjacenti ingens est varietas, praeterea caro bovina, ovilla, et apud pauperiores caprea. Suillae autem per hiemem saltem est usus generalior. Alius pauperum cibus sunt Limaces [*Caracols*]. Vulgo ita distribuitur victus, ut panis optimae notae apud omnes et divites et pauperes dimidia ferme sit ciborum pars, oryza, pulmenta, farinae confectio quae vocatur vermicelli, olera, fructus recentes et sale conditi v.c. olivae, capsulae *Capsici annui*, alterum dimidium, ita ut vix quinta pars repetenda videatur ex regno animali. Multis utuntur condimentis: pipere, caryophyllis, cinnamomo, capsico, croco, allio. Plures cibi cum oleo olivarum parantur. Vinum vel pauperiorum potus est vulgaris, quod saepius tamen aqua miscent. Plebs saepe abutitur spiritu anisi, [*aniseseedwater*] qua in re a ceteris Hispanis, qui ab ebrietate abhorrent, multum differunt. Horis pomeridianis meridiatio [*Siesta*] aestate omnium, nec ullo excepto, consuetudo est, multique per totum annum illam servant.

Cabrera. *Dragonera* paucas tantum habent incolas,

praeter militum praesidia, et quos illa custodiunt sceleratos. *Conejera*, *Redonda*, aliae, ita parvae, ut tuto silentio illas praetermittere possimus.

Insulae Pityusae.

Ibiça seu *Iviça*, Ebusus, Pityusa major.

Nomen Pityusa [*Πιτυοῦσα*] derivatur a *πίτυς*, pinus, quasi pinis abundans. Vel hisce temporibus scatet montibus sylvestribus. Multi in illa rivuli soli fertilitatem augent. Aër saluber est, neque calor intolerabilis, ventus *Solano* tamen saepe in sanitatem nocentes habet effectus. Patet viginti duo milliaria in circuitu.

Formentera; Pityusa minor, aliis Ophiusa.

Parvula, tria milliaria longa, quarta parte usque ad duo larga. Existimarunt, hanc olim serpentibus et aliis reptilibus occupatam, sed hoc tribuitur potius insulae *Moncalober* [Colubraria, Columbrates] quae videtur esse Ophiusa veterum, littus regni *Valencia* spectans. Hodie non praeter 1200 reperiuntur in illa incolae. Sylvis maximam partem est obsita et aquam putealem excellentem profert.

Uti Baleares, multae insulae minimae etiam Pityusas circumdant, incolis destitutae, quas silentio tuto praeterire possumus.

Aquarum medicatarum indicem seu enumerationem nullam inveni.

Hisce praemissis de geographia, et physica insularum Balearium et Pityusarum, accedamus ad morborum endemiorum descriptionem. In hac potissimum Doct. CLEGHORN secuti sumus, qui in opere supra laudato egregie de illis egit.

Dividit morbos endemios in duas classes: epidemicos alios, quibus peculiari anni tempore multi simul afficiuntur, sporadicos alios, qui per totum annum aeque

frequentes observantur, quamvis fieri possit, ut multi etiam uno alterove ex hac classe simul afficiantur. Ad priorem classem refert:

1. Morbum quem dicit *Rash.*
2. Esseram.
3. Cholcram morbum.
4. Febres tertianas.
5. Dysenteriam.
6. Pleuritidem.
7. Peripneumoniam.
8. Febres erysipelatosas et catarrhales.

Ad alteram:

1. Obstructiones viscerum.
2. Haemorrhoïdes.
3. Ulcera crurum.
4. Hernias.
5. Ophthalmias.
6. Dolores nephriticos.

De singulis nunc agamus mutato interim ordine, quandoquidem absolutis morbis inflammatoriis et febribus ad chronicos transibimus.

Rash, sudamina, sudoris papulae, *Ἰδρῶα*, *prickly heat.* De hoc exanthemate jam fusius supra egimus, verbo igitur tantum moneamus, descriptionem CLEGHORNI cum HENNENI aliorumque egregie congruere, si hanc differentiam levioris momenti excipias, quod hic affirmat saepius digitos, brachia, crura praeceteris corporis partibus malum occupare, cum CLEGHORN nullius partis prae reliquis faciat distinctionem.

Essera. Non ita frequentes ac sudamina observantur tuberculi duriores, plani, coloris pallidi, variae formae, qui potissimum sub lecti calore erumpunt. In-

tolerabilem pruritum provocant, adeo ut non prorsus a fricatu retineri possint aegri, quo quidem ipsi tuberculi sensim majores fiunt. Subito autem evanescunt, rariusque perdurant ultra 1—2 horas; simul atque abierunt, anxietas in scrobiculo cordis oboritur, quae iterum remittit, redeunte exanthemate. Saepius aeque subito redit, atque antea abierat. Quamvis in eo cum sudaminibus conveniat, quod sit eruptio critica, qua morbus avertitur saepe, vel praesens judicatur; tamen majoris sunt momenti et plus, ut ita dicam, morbosi habent. Febres tertianas vulgo comitantur; malum erit omen, si ingenti quantitate corpus tegunt, tum citissime fiat sanguinis evacuatio copiosa pro viribus et aetate aegri; errant autem qui semper sanguinem evacuandum putent si exanthema apparuerit, tutius est lenioribus evacuantibus molimen criticum naturae adjuvare.

Richter (1) exanthema dicit, maculas esse rubras parumper elatas, duarum ad quatuor linearum in diametro, maculis morsum cimicum sequentibus, simillimas. Proxime cum urticariis conveniunt, ita ut multi auctores illas non nisi harum varietatem habuerint, et Frankius eas describat nomine *Urticariae tuberculosae*. Comitem saepius habet febrem, quae uno alterove die praecedit exanthema, post duos ad quatuor dies sponte discedit, interdum cum desquamatione insensili fere. Est vagans admodum atque subito erumpit, subito evanescit nullo damno relicto (2). Interdum febris comitans

(1) Specielle Therapie, II. 287. [ed. Vindob].

(2) Differt hac in re richter a cleghornio, qui, ut supra vidimus, anxietatem in scrobiculo cordis observavit in exanthemate evanido. Cum hic morbum luculenter ipse indagaverit, potius testi oculato credendum esse videtur.

satis vehemens, per 7 dies permanet, si maculae numero multae et per totum corpus dispersae oriuntur, accedunt symptomata gastrica et humor parcus ex tuberculis destillat.

Alia forma observatur, febre non comitante, quae semper ex vitiis primarum viarum sequitur, ac diutius perdurat et pertinacior est.

Prognosis Esserae simplicis solet esse fausta. Interdum vero, si desquamatio non rite sequitur, cephalalgia, anxietas, stupor, delirium et nisus in hydropem cerebri inde oriri potest.

Febres, quae in *Menorca* grassantur, dividi debent in aestivales et hiemales. Quovis anno satis regulariter revertuntur, sunt autem aestivales constantiores quam hiemales et frequentiores; cum totius collectionis morborum faciant duas tertias vel interdum tres quartas partes. Aggrediuntur incolas omnis ordinis, indigenos peregrinosque, hiemales contra minus afficiunt Anglos quam indigenos inprimis agricolas. Horum autem domus sunt altius sitae in collibus, quibus magna regionis pars obtegitur, exinde melius aestate a calore, quam hieme a frigore se tutos servant (1). Dum in quibusdam locis rure febres hiemales hominum stragem fecerant magnam, in urbibus et pagis majoribus vulgaris defunctorum numerus non augebatur. Neque minorem accipiunt diversitatem quoad typum; aestivales vulgo intermittentes tertianae, hiemales ab initio quidem sunt ejusdem typi, mox autem quotidianum recipiunt. Com-

(1) Cf. de hoc argumento: J. ENNEMOSER, de montium influxu in valetudinem hominum, vitae genus et morbos. Berolini, 1816, 8°. (Hoc opus nancisci non potui cum non amplius prostet).

plicantur secundum anni tempora, aestivales dysenteriis, obstructionibus viscerum abdominalium; quaeque hieme grassantur tussi, catarrhis, variisque inflammationibus, cerebri v. c. pulmonum, cordis. Praesertim vero inflammatio pleurae morbi symptoma occasionale ita vulgare, ut incolae morbum vocent *Mal de Costat*, [malum lateris]. Hujus loci erit, remedium commemorare, quo incolae utuntur in dolore pleuritico, et quidem summo cum levamine; caules nempe plani ac virides *Cacti Opuntiae*, quos vulgo folia nuncupant, in furno tostos per medium secantur et loco dolenti applicantur.

Observationes auctoris CLEGHORNII egregie firmantur testimonio Doct. DONACI FONT, medicinam olim in urbe *Ciudadella* [Civitella] facientis. Testatur ille in litteris suis, quas 21 Maii 1746 ad CLEGHORNIUM dedit, pleuritidem morbum esse fere anniversarium in insula *Menorca*, potissimum prope *Ciudadella*, qui per hienem viget et pro varia anni ratione atque constitutione magis minusve rigida facta ad medium vel ad finem veris regnare desinit. Curandi methodus tum recepta largae erant sanguinis evacuationes cum diluentibus, expectorantibus etc.

Hiemalium natura vera est inflammatoria, aestivalium gastrico-biliosa. Illarum est causa aër purus et siccus, subinde frigidus, uti verbo supra jam monuimus, aestivalium summus calor, magnae humiditati junctus. In litteris supra laudatis Chirurgus militaris A. SMALL hanc a duplici causa repetit, fusiusque describit; prioris loci est humiditas artificialis, quam ipsi incolae suscitant multis aquis, quibus hortos irrigant. Miretur quispiam advena, aestate aëre sicco atque fervido interdiu ferme suffocatus, ranas coaxare audiens juxta viam

St. Philips ad *Port Mahon*; choreae haud secus ingratae atque in paludibus regionum maxime humilium. Multi post diurnos ardores ex hisce aquis exsurgunt vapores miasmatici. Alteram causam Doct. MUNRO communicavit cum auctore, quae pendet ab ipsa soli structura et compositione. Rupes nempe sunt generatim duplicis naturae, vel tam durae ut vix ullis instrumentis secari possint, vel tam molles, ut facillime omnem cujuscumque generis formam induant. Hic lapis qui vocatur *Cantoonstone* et satis similis est ita dicto *Bathstone* facillime aquam sugit; ille omnibus fluidis prorsus est impenetrabilis. In domibus pauperiorum, durae rupi superstructis, solum facit ipsa rupes applanata, quod propter duritiem non cito aëris temperaturam accipit, saepiusque frigidum manet, vapores aquei in hoc condensantur et superficies semper inde madida redditur. Huic incumbunt pauperes vel prorsus nudi vel substratis tegetibus, quibus frigus humidum quidem avertitur, sed sensim istud stragulum corrumpitur humiditate et putrescit, atque hinc fit, ut lectus profecto insaluberrimus evadat.

Sin contra in rupibus mollibus aedificantur, pluvia et aquae facillime domus penetrant cito nisi congruo modo abducantur, exhalationibus perniciosis sanitatem imo vitam inhabitantium in periculum adducunt. Tales vel prioribus multo periculosiores esse, observationibus constat. Ipse auctor integras vidit familias febribus miasmaticis inde provocatis sublatas (1). In poste-

(1) Aedes erant erectae ad partem septentrionalem viae *Linewall* dictae, in isto *Cantoonstone*. Excavationes et cavernae

rum ejusdem humiditatis effectus plura exempla vi debimus.

Haec de morbis acutis sufficiant, jam de chronicis agamus. Morbi viscerum abdominalium praesertim hujus loci sunt, et ex his obstructiones horum viscerum omnium maxime vulgares. A triplici causa ortum ducunt, primo quidem a defectu aquarum bonae notae. Suo tempore jam observavit HIPPOCRATES (1). »Quod si »flumina ea regio habeat, quae stagnantes et pluvias »aquas educant, ii incolumes degunt, et colore cutis »sunt splendido; sin vero nulla sint flumina, has ventri »et lieni noxias esse necesse est (2)." Magni lienes et hepata dura non solum crebro apud homines occurrunt, sed etiam apud animalia, inprimis apud oves, quae

---

repletae erant lapidis detritu [*Cantoonrubbish*]. Multis hortis, continuo irrigatis, circumdabantur, quorum nonnulli erant altius siti, quam solum aedium. In paucis annis duae vel tres familiae integrae ibi vita defunctae traduntur l. l. 445.

(1) De Aëre, Aquis et Locis cap. 121 in fine (citat CLEGHORN, ommissa interim accurata loci indicatione).

(2) Ed. FOESII pag. 295. CORAY in sua editione hujus pulcherrimi libri aliam omnino habet lectionem et locum ita Gallice vertit: »*Au reste ils peuvent jouir d'une bonne santé et »avoir un beau teint. Si au contraire, ils sont éloignés »des fleuves, et qu'ils boivent des eaux stagnantes de »marais, ou conduites de loin ils doivent avoir de gros »ventres et être sujets aux affections de la rate.*" CORAY l. l. I p. 115. Eandem versionem secutus est DELAVAUD in opere: *Physiologie d'Hippocrate extraite de ses oeuvres. Paris, 1802. p. 74*, quamvis versionem latinam FOESII apponat. Quaenam harum lectionum praeferenda sit equidem haud statuerem, optime vero cum observatione Doct. CLEGHORNII sententia CORAYI congruit.

inveniuntur ad partem septentrionali-orientalem insulae (1), ubi aquae stagnantes et salsae reperiuntur.

Altera causa est calor ingens et continuus aestivus. Explicationem petit auctor ex pathologia humorali, quae hoc tempore vigebat. Aestu nempe particulae subtiliores aquosae dissiparentur, crassiores terreae contra retinerentur. Hinc in sanguine generatur humor spissus, quem veteres Atrabilem vocabant. Viscera transiens partes spissiores deponit sanguis, et ita sensim obstructionibus quasi ansam praebet.

Praeterea acutorum morborum, febrium praesertim tertianarum, sequela vulgaris est obstructio. Reditu in pejus frequenti, vel crisi imperfecta, tonus viscerum chylopoieticorum minuitur, unde dein oriuntur tumores squirrhosi lienis et hepatis inprimis.

Hisce tribus causis primariis accedit victus crudus (fabae, olera etc.), abusus liquorum inebriantium (potissimum apud milites Anglos, tunc temporis insulam occupantes, et apud pauperes) usus nimius aromatum, quibus bilis secretio adaugetur, denique venus immodica.

Cholera [*europaea*] satis est frequens in *Menorca* et saepe formam capit periodicam. Tum subest febris larvata, et iisdem remediis cedit, quibus illa. In alia forma medici Hispani potum aequae inprimis commendant, idem quod olim jam veteres fecere (2).

---

(1) Doct. PARIS idem observavit prope urbem *New-York* in America septentrionali. *Revue Brittannique. Avril*, 1837 *ed. Brux. p. 384.*

(2) ARETAEUS CAPPADOX de curatione morborum acutorum II. 4 et CAELIUS AURELIANUS de morbis acutis III. 21, cit. CLEGHORN p. 224.

Ad finem aestatis morbus grassatur valde communis, *dysenteria* quae vocatur. Vulgo sequitur diarrhoeam ex adaucta secretione bilis aliorumque chylificationis fluidorum, qua sensim mucus intestinalis abraditur. Dolores colici tum provocantur, denique sedes cruentae. Interdum vera symptomata febrilia praecedunt, horripilationes, membrorum rigor, quae brevi post excipit evacuatio copiosa muci cum striis cruentis. Alii, nulla praegressa febre, tenesmis corripiebantur, intestinis in nodos quasi se torquentibus; dolores varii, in aliis vagantes atque intermittentes, in aliis fixi atque continui. Saepe sub costis spuriis dolor adest pungens, uti in pleuritide, vel etiam fixus ab altero ad alterum hypochondrium. Interdum in pelvi cum irrito ad alvum deponendam nisu, haec tum constipata mucum cruentum tantum emittit.

Haemorrhoides et *fluxus haemorrhoidalis*, quamvis aberratio a perfecta sanitate, potius inter naturae molimina referri debent, quam ad morbos. Summae utilitatis in insula sunt, saepe illis praecaventur pleuritis et peripneumonia; neque obstructiones viscerum ita vulgares esse solent apud eos, qui fluxu haemorrhoidali laborant.

Ulcera crurum. Difficillime vulnera crurum sanantur in insula *Menorca*, capitis contra citissime (1). Cleghorn hujus pertinaciae causam in eo sitam esse invenit, quod particulae atrabiliares, quae in sanguine continentur, natura sua graviore, per aortam inferiorem descendunt, et emunctorium, quod in vulneribus inveniunt, semper apertum tenent. Viscera tumefacta venam ca-

(1) Hinc proverbium *Menorca es bo de cap y mal de camas* [Minorca bona est capiti et mala cruribus] cleghorn l. l. p. 70.

vam comprimunt et reditum sanguinis venosi ab artubus inferioribus sic impediunt. Vulnera saepe hujusmodi in ulcera maligna mutantur, quaeque a causa interna gignuntur ulcera etiam pertinaciora fieri solent. Explicationem auctoris nimis subtilem mihi videri et mechanicam, nemo mirabitur. Est potius humiditatis effectus, omnibus regionibus humilioribus communis, quod experientia docuit, cum in aliis terrae regionibus, tum nostra in patria potissimum, haec ulcera et difficulter admodum sanari, et plurimos in vitae stadio provectiori invadere solent. Idem effectus erit humiditatis artificialis, quam A. SMALL litteris suis graphice depinxit. Verum tamen hominibus megalosplanchnicis ulcera crurum semper observantur pertinaciora. Hispanos milites cicatricibus foedis ac nigris in cruribus saepius vidit auctor.

Calculi renales crebro in insula observantur ex aquarum qualitate dura, salina, quae post coctionem in vase magnum sedimentum terreum relinquunt. Ad hoc explicandum iterum auctor theoriam suam affert humoralem, qua et obstructionem viscerum explicare tentavit. Sed potius inde argumentum sumi potest, quo theoria egregie oppugnetur, si nempe verum esset, aestu potissimum partes aquosas perspiratione cutanea elici, terreasque crassiores in sanguine retineri, ac calculorum genesi opportunam occasionem praebere, eapropter praesertim in calidioribus et tropicis regionibus illos observares. In his regionibus contra ita raro morbus calculosus invenitur, ut diu illum ibi plane deësse putarint (1). Praeter aquarum naturam, humiditatem quoque hujus morbi in *Menorca* causam habemus.

(1) Cf. Diss. p. 29.

Superest, ut ultimo loco de morbo peculiari in insulis Balearibus endemio agamus. Trismum scilicet infantum, qui magnam saepe inter infantes recens natos fecit stragem (1).

Supra de *Barcelona* agentes hujus morbi descriptionem dedimus (2), nunc igitur pauca tantum adjiciamus. Richter (3) trismum neonatorum (torturam oris, capistrum) proprium dicit regionibus calidis ac humidis et paludosis simul, v. c. insulis *Barbados*, *Antilles*, Baleribus, partibus quibusdam Hispaniae, *Cayenne*, urbi *Triesta*. Ibi rarius post 12 nativitatis diem occurrit, saepiusque ante nonum. Descriptionem porro amplam satis dedit quam praetermittimus. Schmalz (4) morbum dicit trismum nascentium eumque a causa gastrica inprimis repetit et saepe tum epidemice tum endemice grassari dicit.

Haec de *Menorca* et ceteris insulis Balearibus sufficiant.

---

(1) Cleghorn. l. l. p. 73.
(2) Cf. Diss. p. 38 sq.
(3) Spec. Therapie VIII. p. 209 sqq. (ed. Vind.)
(4) l. l. p. 63 nº. 538.

2. CORSICA, *LA CORSE* [CYRNOS].

AUCTORES.

L. L. FINKE, l. l. I, p. 32 sq. III, 56 sq.

GAUDIN, Neueste Reisen durch Corsika. Leipzig, 1788. Cit. FINKE, (Librum non vidi).

JAMES BOSWELL, Bericht van Corsica, enz. (ex Anglico sermone versum). Amsterd. 1769. I, 12—59.

Sita inter gradum 41° et 42° lat. bor. et 8°—10° long. or., longa est 150 milliaria, 40—50 larga et 322 in circuitu patet. Est regio admodum montuosa, vel potius unicum ferme jugum inde a promontorio *Cabo Corso* juxta longitudinem, totam insulam ad fretum usque Bonifacii in duas partes dirimit, dum multis ramis lateralibus totam fere superficiem occupat. Jugi directio est ab Africo ad Eurum, nam proprie incipit propre *Olmi* et montes isthmum septentrionalem occupantes potius ad ramum pertinent lateralem sinuatum; eandem jugi directionem mox observabimus in Sardinia, quo probabile fit, olim duas insulas junctas fuisse, violenta autem concussione, jam ante temporis, de quo historici mentionem faciunt, memoriam, a se invicem fuisse avulsas. Montes declivitate admodum abrupta, cacuminibus altis per majorem anni partem nive tectis, *Monte Rotondo* ad 9292 et *Monte d'Oro* ad 8166 p. p. supra maris superficiem exsurgunt. Jugum ipsum componitur montibus

et rupibus formationis primitivae, rami laterales generatim transitionis et secundariae. Valles profundae et furcae multae. Ora occidentalis sinubus et incisionibus majoribus minoribusque exaratur. Orientalis aequalior est et planior. In illa distinguuntur sinus *San Fiorenzo*, *Calvi*, *Porto*, *Sagono*, *Ajaccio*, *Valinco;* in hac sinus *Porto Vecchio* et planities inter *Mariana* et *Aleria*. Aquis abundat insula. Nullus tamen fluvius navigabilis adest, sed rivi et torrentes violentissimo impetu e montibus decurrentes, aestate plerumque et maximam partem sicci. Majores sunt *Golo* et *Tavignano*, uterque in ora orientali mare petens in illud se exonerat. Lacus quidam exstant et in media insula et in littore. Ibi vel cum mare conjunguntur vel isthmo arenaceo ab eo sunt sejuncti, ac salsi. Nonnulli potius nominantur paludes, ubi sal culinare spontanea naturae operatione fabricatur. Lacus *Ino* et *Cerno* in interioribus terrae regionibus rivis *Golo* et *Tavignano* ortum praebent.

Aquae medicatae plures hac in insula dantur, specialem vero catalogum, addita ipsarum natura et compositione, non inveni; sufficiat igitur simplex locorum, ubi inveniuntur, enumeratio.

1. *Pietra Polo.*
2. *Guagno.*
3. *Guitera.*
4. *Tallano.*
5. *Baracci.*
6. *Orezza.*
7. *St. Georges.*

Coelum olim insalubre audiebatur, sed hisce temporibus multos Europae australis locos salubritatis laude

vincit et vicinam Sardiniam longe superat, uti fusius de hac insula agentes indicabimus. Est nempe pro situ meridionali satis temperatum, ne dicam frigidum, propter ventos marinos aestate fervorem minuentes, hieme frigus oppugnantes. Montium et totius regionis elatio supra maris superficiem, Septentrioni, nullo interposito impedimento, ab Alpibus maritimis libere insulam perflanti aditum sinit. In vallibus profundis interdiu calor, noctu frigus vehemens est. Quod ad ventos attinet inter hanc insulam et Sardiniam illud observatur discrimen, quod Septentrio in illa, Auster in hac praevalet, quia se invicem alternatim ab illis defendunt.

Montes sylvis obsiti sunt, variae species quercus, castaneae, aliaeque arbores Europae australi propriae hîc crescunt. Inter has facile eminet *Pinus Laricio* et altitudine et crassitudine distincta. In multis locis oleae coluntur, quae passim spontaneae vel aufugae inveniuntur; citrus et aurantia idoneo tantum loco occurrunt; *Chamaerops humilis* et *Phoenix dactylifera* prorsus desunt. Vinum generosum in variis partibus parant.

Ex cerealium familia profert triticum, secale, hordeum, panicum; avenâ omnino destituuntur equi et muli, quibus pro hac hordeum objicitur.

Flora hîc spontanea, uti multarum insularum, propria, (inde nomen specificum *corsicum* multis genericis junctum invenies), propter varium soli genus, jugi structuram et altitudinem, oras maritimas, multifaria satis est, sin vero cum aliis Europae australis locis comparamus, nec vegeta nec splendida videbitur.

Incolae sunt staturae mediae, robusti, fusci coloris, oculis et capillis nigris, feminae pulchritudinis laudem non prae aliis gentibus merentur; quamvis autem sub

ditione Franco-Galliae jam inde ab A°. 1768 redacti sint, tamen mores prorsus sunt meridionalis Europae et inprimis quidem Italiae incolarum. Distinguuntur praesertim astutia, litium et rixarum amore, qui fratres, parentes et filios saepe dividit, et cum ingenti vindictae cupiditate multa homicidia parit. Contra promissa fideliter et hospitii jura religiose servant.

Morbi. In parte orientali propter paludes salsas aestate febres intermittentes grassantur. Valles humidae cautissime evitantur et vulgo in montibus habitant (1) Corsi. Hinc et propter ventum Septentrionem liberius aërem atmosphaericum depurantem et minorem paludum ac stagnorum copiam, generatim salubrior est quam Sardinia. Hisce forsan etiam tribuendum causis est, quod pro rata magnitudinis parte majori incolarum numero gaudeat.

Scabies perquam hîc vulgaris est, quod victui et immunditiae videtur tribuendum (2).

---

(1) Finke l. l. p. 32 ex libro: gaudin Reise durch Corsica. Leipz. 1788. Boswell l. l. I. p. 32.

(2) Finke l. l. III. 57.

3. SARDINIA. [ICHNUSA, SANDALIOTIS, SARDO.]

AUCTORES.

Voyage en Sardaigne de 1819 à 1825 par le Chevalier ALBERT DE MARMORA. Paris 1826. I Vol. 8° avec Atlas.

JEAN FRANÇOIS MIMAUT, Histoire de la Sardaigne ou la Sardaigne ancienne et moderne. Paris 1825. 2. Vol. 8°.

L. L. FINKE, l. l. I. p. 29—31. III. 54—56.

Sita est insula Sardinia inter gradum 38° 54′ et 41° lat. Bor. et 25° 49′ et 27° 24′ long. Orient. Forma est oblongo-quadrata, longitudo quadraginta milliaria, latitudo viginti, area circiter quadringenti et quadraginta milliaria Germanica. Numeratur igitur inter insulas majores maris mediterranei.

Est regio perquam montuosa, valles extensas et planities pulcherrimas inter ramos includens. Montes quinque juga faciunt, regionem secantia.

1. Primum totam insulam a freto Bonifacii (1) [*Bocche di Bonifacio*] et promontorio *Lungo Sardo* usque ad promontorium *Carbonaro* percurrit. Verus insulae nucleus est. Duos habet ramos *Lymbarra* et *Goceano*. In eo altissima inveniuntur cacumina *Genargentu* [1830 *mètres*] et *Lymbarra* [1217], in priore per totam aestatem nix remanet.

2. A promontorio *Frasco* usque (2) ad promontorium *Teulada* alterum decurrit, a priore valle inter-

(1) Ubi parvae insulae *della Maddalena*, *Caprera*, *San Stefano*, jugi cacumina quasi solitaria sunt.

(2) Insulae *San Pietro* et *San Antioco* ad hoc referendae.

media *Campidano* sejunctum. Primo directionem servat majori jugo parallelam, dein subito interrumpitur per vallem *Domus-Novas* et *Villa-Massargia*, porro inter sinum *Palmas* et *Cagliari* extenditur. Ramum mittit orientalem *Pula* versus.

3. In parti insulae septentrionali invenitur jugum *Nurra* (1). Potius vocari deberet praecedentis continuatio, uti directio, compositio geologica et structura luculenter et egregie probant; per sinum *Oristano* nunc a se invicem separantur.

Referuntur haec tria juga ad formationes primitivas et transitorias.

Duo alia juga minoris sunt altitudinis, quibusdam locis tantum ad altitudinem 700 *mètr.* adscendunt.

1. Montes *del Ales* dicti, qui a *Monastor*, vel potius a *Sardara* et *Serrenti* usque ad *Ales* decurrunt. Cujus qui prope *Morgon* siti sunt, pertinent ad congeriem stratorum, quae in aqua antea suspensa, in illa subsedere, et ad massas trachyticas [*Terrains de sediment et de Trachyte.*] Inveniuntur in illa etiam torrentes basaltis valde antiqui [*Coulées basaltiques très anciennes*].

2. Montes *di Santu Lussurgiu*, etsi interrupti, tamquam praecedentium continuatio considerari possunt. Incipiunt prope *Miles* et per *Santu Lussurgiu*, *Monti di Marghine*, *Bosa*, *Ploaghe*, *Nulvi* usque ad *Castel Sardo* decurrunt. Magna pars (a *Miles* usque ad *S. Lussurgiu*) est naturae basalticae [*Coulée basaltique*]. Ipse pagus *Santu Lussurgiu* situs est in monte igni-vomo exstincto juxta craterem.

Praeter illos montes plus vel minus altos et extensos,

(1) Insula *Asinara* hujus continuatio mari a Sardinia avulsa.

inveniuntur colles prope *Cagliari* [Caralis] a *San Elia* isthmo angusto continenti juncta, in *Campidano* sensim evanidi, alii prope *Sassari* usque ad *Posto Torres* decurrentes. Pertinent hi ad formationem tertiariam et potissimum cum parisiensi conveniunt.

Multa hisce montibus formantur promontoria inter quae distinguuntur: *Falcone*, *Lungo Sardo* (in septent.); *Comino* et *Bellavista* (in orient.); *Carbonara*, *Spartivento*, *Teulada* (in merid.); *Trasca* et *Caccia* (in occid.). Ora maritima occidentalis et meridionalis pluribus, iisque majoribus sinubus exaratum est, quam septentrionalis et orientalis. Inter illos distinguuntur.

Sinus *di Cagliari.*
» *di Palmas.*
» *di Oristano.*

Inter valles et planities attentionem merentur: *Campidano*, quae ex omnibus maxima, tertiam fere insulae partem mediam meridionalem occupat; *Campo d'Ozieri*, inter montes *di Lymbarra*, *di Ploaghe* et *d'Ozieri* in parte septentrionali, ubi etiam planities *di Nurra* inter jugum hujus nominis et montes *Ploaghe;* vallis fluminis *Tyrso* prioris *Campidano* quasi continuatio. Plures minores, uti *St. Anna*, *Lazaro*, *Mela*, *Giavesu* et littora planiora prope *Tortoli*, *Muravera*, *Palmas*, silentio praeterimus.

Multae insulae minoris extensionis majorem circumdant, quas supra jugorum tanquam continuationes jam laudavimus, praecipuae sunt *Asinara*, *San Pietro*, *San Antioco.* Inter minores distinguuntur *Tavolara*, unica massa, 18 milliaria in circuitu patens, carbonatis calcis.

Non incongruum erit, quaedam quasi corolloria ex jugorum decursu annotari.

1. Directio primaria est a Gallico ad Attanum, juxta longitudinem insulae.

2. Declivitas occidentalis jugi primarii multo magis extenditur quam orientalis, quae maximam partem basi tegitur rupibus stratis a Solano ad Zephyrum inclinatis.

3. Jugum medium est nucleus primitivus ad quem sensim in directione parallela accessere cetera formationis posterioris.

4. Hic nucleus eandem servat directionem quam jugum medium insulae Corsicae.

5. Colles formationis tertiariae, a sinu *Porto-Torres* ad sinum *Cagliari*, originem debent deposito marino.

6. Haec facta est depositio in canali per mediam insulam e montibus primitivis exarato; quod probatur:

a. Defectu montium et rupium primitivorum.

b. Praesentia corporum organicorum marinorum.

c. Situ horum collium ratione Corsicae, quae Sardiniam ab hac parte non tegit.

7. Canalis formari potuit aquarum fluxu, qui destruxit, abstulerit et in longum latumque disjecerit antiquos Sardiniae montes quos in cursu suo offenderit, quum a via sua minime deflexa per insulam penetraverit; dum ab altera parte montibus altis impeditus juxta Corsicae littora tranquille motus fuerit.

8. E tali cataclysmo explicare possimus:

a. Conservationem rupium primitivarum in nucleo Sardiniae, egregie illi quem in insula Corsica observavimus respondenti.

b. Separationem jugorum minorum *la Nurra*, *di Guspini* et *di Pula* a praecedenti.

c. Absentiam similium rupium in tractu his aquis exarato.

d. Depositum calcarium corpora marina continens.

9. *Campidano* a basi collis *di Cagliari* usque ad sinum *d' Oristano* in depositum calcarium effossus vestigia offert detritus marini.

10. Est enim canalis in utrumque finem apertus, basi fere plana, parumper tantum supra maris superficiem elatus, minime conveniens cum vallibus originem a fluviorum decursu trahentibus.

11. Forsan ab eadem causa repetenda:

a. Syrtis magna Africae borealis.

b. Directio littoris meridionalis Siciliae.

c. Canalis inter hanc insulam et *Cabo Bonn* [promontorium Hermaeum].

d. Planities *Campidona* et *Campo d' Ozieri* in Sardinia.

e. Sinus Gallicus.

Aquae. Fluvii nomen ex omnibus unus meretur *Tirso* seu *Fiume d' Oristano*, olim audiebatur Tyrsus seu Torsus et Sardiniam a montibus *Budoso* usque ad sinum *d' Oristano* in duas partes ferme aequales dividit.

Flumendosa [Saeprus], *Fiume d' Ozieri* [Termus] (1), *Fiume di Bosa* [Termus (2), Temus (3)] et *Fiume di Porto Torres* potius torrentes, saepius prorsus sicci, excepto ultimo, qui exiguum aquae residuum semper servat, hieme contra maximo impetu e montibus descendentes arva vicina inundant. Praeter illos multi

---

(1) Secundum patrem TOMASO NAPOLI.

(2) Secundum equitem MARMORA.

(3) Secundum patrem TOMASO NAPOLI. Doctam nominum antiquorum comparationem cum recentioribus vide apud MIMAUT l. l. II. 341—370.

inveniuntur rivuli minores, qui supra memoratos augent, vel mare intrant.

Lacus proprie sic dicti in Sardinia non inveniuntur, sed stagna plurima generatim plus minus salsa. Horum potissimum tria distingui debent genera.

I. Quae cum mari cohaerent cujuscumque demum canalis ope sive arti sive naturae debiti; sunt in universum piscosa et praesertim anguillas continent.

Ad hanc classem referenda sunt:

1. *La Scaffa*, prope *Cagliari*. Habet sex milliaria in circuitu, ad fundum sinus caraliensis, a quo separatur isthmo duorum milliarium multis canalibus intersecto, ut liber aditus aquarum marinarum esset, isque continuus. In isthmo reperiuntur salinae. Avium aquaticarum innumerabiles greges ab initio autumni ibi hibernant. Inter illas distinguuntur phaenicopteri, cygni et interdum pelicani. Aquae non ultra tres quatuorve pedum sunt altae.

2. Stagnum prope *Oristano*. Ejusdem ferme extensionis.

3. » *di Sassu.*

4. » *di Palmas.*

5. » *d'Alghero.*

6. » *di Sorso.*

7. » *di Terranuova.*

8. » *d'Orosei.*

9. » *di Tortoli.*

10. » *di Muravera*

et quaedam minora.

II. Quae aquis formatur marinis, sine ulla cohaerentia apparenti cum mari.

Inter haec praecipuum stagnum *di Quartu*, quod torrentes tantum post imbres abundantes adeunt. Aquis

marinis autem replentur sub Septentrione, quas repellit iterum Auster. Post talem aquarum recessum aestate magna copia muriatis sodae [salis culinaris] et sulphatis sodae relinquitur.

Hujus generis hîc illic multa minora inveniuntur.

III. Genus complectitur stagna, quae nullo modo cum aquis marinis conjunguntur et in interioribus terris sita sunt.

Originem et naturam salsam debent causis e locorum situ derivatis. Praebent, uti priores, sulphatem et muriatem sodae, nonnulla praeterea carbonatem sodae. Occurrunt praesertim ad radicem montium trachyticorum in alluviis calcariis et argillosis; praecipua sunt:

1. Stagnum *di San Luri*
2. » *di Serrenti.*

Summam attentionem merentur paludes, quippe quae sanitati incolarum suo nocent effectu. Jam sub Romanorum imperio, quo multo major erat numerus incolarium, et agricultura perquam florebat, testibus SOLINO et SILIO ITALICO, multas paludes continebat haec insula. Post imminutum incolarum numerum et agriculturam neglectam, harum copia perquam adaucta est. Aliae per totum annum, aliae hieme et vere solummodo existunt. Hae nocent incolis, quia aestate prorsus exsiccatae miasmata insalubria exhalant, illae vero tantum nocent, si ipsae aquae stagnando corrumpuntur. Majores per totum annum aquis repletae sunt:

1. In vallibus quibusdam jugi *Nurra.*
2. Prope ostium *Fiume d'Orosei.*

IV. Aliae reperiuntur in margine occidentali magni stagni *di Cagliari*, hoc loco arundinibus tecti, quae vel aestate quosdam aquae ductus accipit.

Aquas medicatas Sardinia multas habet, neque omnes etiam chemica analysi indagatas. Sequentem tabulam refert MARMORA: (1).

I. Thermae salinae.

1. *Sardara*. . . . . 48°—15° R. (2).
2. *Fodrungianus*. . . . . 55°—11° »
3. *Castel-doria*. . . . . 53°—11° »
4. *Dorgali*. . . . . 25°—13° »
5. *Aequa cotta de Villacedro*. . . . 32°—12° »

II. Thermae sulphurosae:

1. *Benetuti*. . . . . 32°—18° »

III. Frigidae acidulae subferruginosae:

1. *Codrungianus*. . . . . 18°—18° »

Coelum Sardiniae revera insulare est, id est frigus summum et calor extremus, minus hîc frequentes sunt, quam in alto continente. Venti marini, ut saepius jam monuimus, aestate ardorem solis minuunt, hieme frigus admodum temperant et oppugnant (3). Sed ab altera parte tempestas satis inconstans est in Sardinia, dum media aestate ilico summum oboritur frigus et hieme incongruus calor; aestuosum diem insequitur nox humida ac frigida. Hujus rei in causa sunt venti vehementiores subito saepe surgentes (4). Insula dividi-

---

(1) L. l. p. 112 et sq. ubi etiam cujusque fontis principiorum chemicorum invenitur enumeratio, quam dedit Clar. CANTU in Academia Taurinensi Professor, omissa interim mutua eorum proportione, quo defectu omnem fere utilitatem analysis amisit.

(2) Prior numerus indicat temperaturam aquae fontis, alter aëris atmosphaerici, durante observatione.

(3) De talis climatis characteribus cf. A. DE HUMBOLAT, voyage aux regions équinoxiales T. II Ch. III p. 68 not. 1. Paris 1813 edit. in 8°. (Cit. MARMORA).

(4) Cf. MIMAUT. l. l. II. 294. sq.

tur in partem montuosam et planitiem, utriusque coelum satis est diversum. Aestate in hac nebulae condensantur ac vix ventis propelli possunt, quamvis aridítas summa sit; in montibus contra coelum serenum, fontes gelidi, aër purus et siccus reperitur. Post imbres autumnales miasmata nocentia, aestivo calore ex planitie paludosa surgentia, praecipitantur, aër totus quasi renovatur. Nunc sensim montes relinquunt incolae, frigus evitare conantes.

Ut melius de coeli aërisque natura judicetur, brevem totius anni dabimus conspectum, quem igitur secundum anni tempora exponemus.

Mense Decembre et Januario inprimis circa solstitium brumale est aëris temperatura amoena, coelum serenissimum, tempestas tranquilla. Per multas hebdomadas saepe ne una quidem pluviae guttula cadit. Vocatur hoc tempus vulgo *Secche di Gennajo* (1).

Februario imbres fere continuantur, manet tempestas semper inconstans. Totius anni tempus tunc ingratissimum est. Interdum vel per Martium continuatur et frigus saepius priorum mensium superat (2).

Aprilis admodum ventosus vegetationem adhuc retardat, quae demum mense Majo summo splendore evolvitur. Calor gratus, usque ad initium mensis Junii durat, et hoc pulcherrimum anni tempus reddit.

---

(1) Respondet veterum diebus Alcyoneis. (Notat MARMORA).

(2) Hinc vegetatio in Sardinia minus est praecox, quam in littore Genuensi et in *Provence*. Sic auctor MARMORA annis 1819 et 1822 mense Februario Sardiniam adiens, oleas et amygdalos multo minus evolutas invenit prope *Cagliari*, quae urbs tamen in parte maxime meridionali insulae sita, quam in littore Genuensi, quod 6—8 diebus ante reliquerat. (Notat MARMORA).

Medio Junio jam vero calor ita increscit, uti ruri degentes vel urbes petant, vel loca altiora et montes adscendant.

Usque ad finem Septembris summus iste calor sine ulla ferme intermissione durat, quem mense Octobre excipiunt imbres vehementes sub ventis Africo et Aquilone.

Decembre imbres sequitur tempestas placida, atque tranquilla, quam supra descripsimus.

Quod attinet ad temperaturae gradum, auctor accuratam totius anni tabulam dedit observationum quotidianarum ope thermometri, barometri et hygrometri. Et praeterea trium annorum, per quos ipse vel ejus socii observationes suas instituerant, conspectum breviorem, quem nos mutata ordine et gradibus R. in Ctgr. hîc inserimus.

ANNI ET MENSES.		TEMPERATURAE. maxim.	minim.	differentia.	media mensis.
Januarius.	1823	17	5,25	11,75	10,90
	1824	14,37	3	11,37	7,85
	1825	14,50	3,12	11,38	8,70
med. omn.		15,29	3,79	11,50	9,15
Februarius.	1823	17,87	5,87	12	10,69
	1824	16,50	3,62	12,88	11,09
	1825	15,37	2	13,37	9,69
med. omn.		16,58	3,83	12,75	10,49
Martius.	1823	19,37	3,75	15,62	11,52
	1824	16,12	5,37	10,75	8,16
	1825	18,87	4,25	14,62	11,34
med. omn.		18,12	4,46	13,66	10,34
Aprilis.	1823	22,50	7	15,50	15,40
	1824	21	6,37	14,63	13,14
	1825	24,50	7,75	16,75	15,20
med. omn.		22,67	7,04	15,63	14,58
Maius.	1823	25,37	13,50	11,87	19,15
	1824	25	12,87	12,13	18,51
	1825	27	12,25	14,75	18,59
med. omn.		25,79	12,87	12,92	18,75
Junius.	1823	28,50	18	10,50	22,30
	1824	27,25	15,37	11,88	20,81
	1825	28,37	15,25	13,12	21,42
med. omn.		28,04	16,21	11,83	21,51

ANNI ET MENSES.		TEMPERATURAE. maxim.	minim.	differentia.	media mensis.
Julius.	1823	29,37	18,50	10,87	23,56
	1824	35,37	18,75	16,62	25,06
	1825	33	19	14	25,15
med. omn.		32,58	18,75	13,83	24,59
Augustus.	1823	32,87	17	15,87	25,12
	1824	39,12	18,25	20,87	26,39
	1825	30,37	17,87	12,50	24,54
med. omn.		34,12	17,71	16,41	25,35
September.	1822	34,75	17,25	17,50	20,12
	1823	28,37	14,25	14,12	22,56
	1824	29,50	16,25	13,25	22,42
med. omn.		30,87	15,92	14,95	21,70
October.	1822	31,50	13,25	18,25	19,91
	1823	24,37	12,12	12,25	17,79
	1824	26,12	12,87	13,25	19,77
med. omn.		27,33	12,75	14,58	19,16
November.	1822	22	7,75	14,25	15,94
	1823	17,50	5,25	12,25	13,12
	1824	21,50	9	12,50	15,35
med. omn.		20,33	7,33	13	14,80
December.	1822	16,62	3,50	13,12	11,49
	1823	18	5	13	10,62
	1824	17,12	7	10,12	12,96
med. omn.		17,25	5,17	12,08	11,69

Ut anni tempestatum et annorum completorum meliorem haberemus conspectum, sequentem tabulam mediorum e superiore composuimus.

ANNI ET ANNI TEMPORA.		TEMPERATURA MEDIA. ANNI TEMPORUM.	SINGULORUM ANNORUM.		TRIUM ANNORUM.
VER.	1823	15,36			
	1824	13,27			
	1825	15,04			
media omnium		14,56	1822 Sept. - Dec.	16,87	
AESTAS.	1823	23,66			
	1824	24,09			
	1825	23,70	1823.	16,89	
media omnium		23,82			16,84
AUTUMNUS.	1822	18,66			
	1823	17,82			
	1824	19,18	1824.	16,79	
media omnium		18,55			
HIEMS.	$18\frac{22}{23}$	11,03			
	$18\frac{23}{24}$	9,85	1825 Jan. - Aug.	16,83	
	$18\frac{24}{25}$	10,45			
media omnium		10,44			

Inter ventos prae ceteris frequentiâ excellunt Caurus [*Maestrale* seu *Maestro*] et Solanus [*Levante*].

Maestrale. A sinu Lyonnensi et a Pyrenaeis nullo cohibitus impedimento, post magnum supra mare decursum oram occidentalem insulae adit, vaporibus aquosis gravis. Vallem *Campidano* intrans, sensim humiditatem amittit, ita ut prope urbem *Cagliari* siccissimus et suffocantis ferme caloris evadat. Ita vehemens est et continuus, ut arbores illius actioni expositae, prorsus in hanc directionem crescant. Rami omnes spectant Eurum et latus oppositum trunci nudum est ferme ac tortuosum (1). Melior effectus ejus est insignis atque conspicuus in animantium corpora, quia vires a *Levante* languidas iterum recreat, jure igitur ab incolis salu-

(1) Ventorum vi arbores haud sine ullo effectu afficiuntur non solum, quod ad ramorum distributionem attinet, sed etiam ad stratorum ligneorum structuram ventorum vis observatur. Ita, ut in nostris regionibus, pauci rami Septentrionem spectant, plures Austrum, et strata lignea ab hoc parte sunt largiora sed laxiora simul, dum in parte antiborea angustiora et firmiora occurrunt. Sin vero continuis ventis exponuntur, tardissime crescunt, uti nostra in patria videre est juxta littora maris, et praesertim in viis ericeta Brabantia septentrionalis trajicientibus; quae ibi inveniuntur *Betula nigra* et *pendula* post plantationem per decennium vix quidquam magnitudine augeri, ipse saepius observavi. Caurus autem ex omnibus plurimum nocet, hinc insulae nostrae septentrionales, atque Hollandiae septentrionalis totum littus arboribus ferme destituitur, quaeque rarae inveniuntur, tortuosae sunt imo quamvis juniores senectutis decrepitam speciem prae se ferunt. Sic prope pagum *Monster* juxta viam observatur lucus, in quo arbores a serie exteriore ad ultimam sensim adscendunt, ita ut posteriores bis ter priores altitudine et comae extensione superent.

berrimus habetur et laudem meretur, facilius calorem 30° gradum in thermometro tolerari posse sub *Maestrale*, quam 25° flante *Levante*.

Ponente [Zephyrus]. Rarius in Sardinia flat, praesertim in urbe *Cagliari* quae montibus *Caputerra* et *Villa-Massargia* contra ejus vim defenditur. Est ventus pluvius.

Libeccio [Africus]. Impetuosus admodum est et pluvius. Rarius in urbe *Cagliari* sentitur, quae potissimum montibus *Pula* ab eo immunis est. In littore occidentali contra prope *Oristana* v. c. et *Algherro* multum nocet.

Auster rarior est, sed interdum praesertim post dies Alcyoneas vehemens; in urbe Cagliari satis humidus.

Levante. Proprietatibus nocentibus vehementia et frequentia distinguitur ventus quem minori jure incolae dicunt *Levante* [Solanum]. Nam est proprie Euronotus vel Vulturnus antiquorum (1), *Scirocco* Italorum, *Solano* Hispanorum. Cauro [*Maestrale*] igitur prorsus oppositus est, contrarias etiam proprietates habet. Terras primo adiens Caurus quidem humidus est, sed cum insigni madore illius ne comparari quidem potest. In littore meridionali summo jure *Maledetto Levante* dicitur. In posterum satis opportuna nobis erit occasio fusius de hoc nocivo vento agendi, quaedam supra jam de *Solano*, a priore non diverso, monuimus, verbo igitur nunc indicabimus, illum esse maxime suffocantem et humidum, humiditatem omnia corpora penetrare, fibram relaxare, languorem summum inducere, ita ut

(1) Auctor habet *le sud-est* juxta nostrum catalogum igitur esset ipse Eurus.

homines et animalia insolitam sentiunt lassitudinem vel in alta quiete ingratam subeunt transpirationem. Platea et scalarum gradus aquis quasi irrigati apparent et in aedes facillime penetrat humiditas. Aër saturatur vaporibus salinis qui vegetabilibus nocent. Calor quem adducit non est molestus propter summum gradum, sed potius propter humiditatem, et forsan ob noxiam quamdam vim, quae huic vento ipsi natura proprie inest et hue usque ignota mansit. Aestate frequentissimus, vulgo per dies durat, interdum vel per hebdomadem continuatur.

Verus Solanus proxime cum *Levante* convenit, sed vi noxia minore instructus. In littore orientali, uti ex situ apparet, praesertim regnat.

Qui e directione Aquilonea adveniunt venti, quibusdam tantum in insulae locis sentiuntur. Admodum varii et inconstantes, saepius pluvii. Vocantur etiam *Gregali.*

Tramontana. Insula Corsica, uti facile ex mappae inspectione patet, hunc ventum in Sardiniam tendentem impedit. Id quoque faciunt montes altissimi, qui in parte septentrionali insulae inveniuntur. Prorsus tamen excludi non potest, sed saepe in Sardiniam penetrans effectus salutares edit. Ille inprimis coelum serenum reddit et nebulas densas temporis frigidi pluviique et ventorum australium vapores fugat. Potissimum Decembri et Januario diebus Alcyoneis regnat. Et ille et *Maestrale* praecipue pendent a nive in montibus Pyrenaeis et Alpibus atque Apenninis obvia; si illa abundat, Caurus regnat in insula, sin major copia invenitur contra in Alpibus et Apenninis prope *Genoa*, Septentrio frequentior est.

Praeter supra descriptos ventos neque in Sardinia desunt, qui in omnibus insulis multisque littoribus inveniuntur venti, alterna vice mare et terram petentes. Praesertim observantur aestate, ceteris ventis silentibus, et horis certis periodicis sese excipiunt. In sinu *di Cagliari* ventus marinus, qui ab incolis vocatur *Imbattu*, horâ decimâ surgit et secundâ pomeridianâ silet. Saepe in terras penetrat ad intervallum decem vel duodecim milliarium. Tantopere aërem refrigerat, ut tempus a solis ortu usque ad horam decimam totius diei sit calidissimus. Huic oppositus *Rampinu* a solis occasu per totam noctem e terra mare petit. Hos vocabant Graeci Ἐτησίαι (1) et ventus marinus a Romanis dicebatur somniculosus (2).

Nebulae [*Brouillards*]. In Sardinia admodum sunt frequentes et aestate et imbrium annuorum tempore. Repetendae inprimis a magno numero stagnorum et paludum videntur, quamquam et fluvii et rivi sua quoque conferunt (3). Saepe perquam densae sunt et humidae, sique regnant eo tempore, quo in spica semen evolvitur, messis saepe perit. Aestivo tempore ros in arvis et pratis abundat. Pluviae subitaneae ac vehementes cadunt, sed rarissime per diem integrum durant. Aestate tam rarae, ut in 3—5 mensibus interdum ne gut-

(1) Omnes ventos periodicos hoc nomine veteres insignire solebant, inprimis qui apud recentiores audiunt *Passaatwinden*.

(2) Etesiae ab hoc somniculosi a nautis et delicati vocantur, quod mane nesciunt surgere. Forcellini, Lexicon port. 1805. Cit. marmora, l. l. 136.

(3) De formatione nebularum conferri merentur: *Some observations on the formation of mists in particular situations; by Sir* humphry davy, *Bart. F. R. S. V. P. R. I.* Philos. Transact. for the year 1819, p. 123.

tula quidem cadit. Annua praeterea quantitas minor quam in aliis Europae australis partibus, secundum GEMELLI non sedecim pollices superat (1). Procellae sunt minus vulgares in Sardinia quam in continente. Nix in montibus ad finem Octobris occurrit, inque summis cacuminibus vulgo ad Julium usque remanet, in planitie numquam ultra 24 horas (2).

Quamvis insula satis propinqua sit montibus ignivomis, terrae motus in illa valde raro accidit. Trium tantum memoriam servarunt incolae. Horum praecipuus A°. 1618, 4 Junii, locum habuit.

Vegetatio. Sylvae adhuc quintam insulae partem tegunt, olim multo majorem, sed quia pro maxima parte communi civium usui inserviunt, cuivis licet, si ligno caret, securi arbores caedere quae ipsi placent. Haec incongrua methodus sensim sensimque lignorum penuriam efficiet, inprimis quia numquam loco arboris caesae juniorem plantant. Tempore Docti. BJÖRNSTAHL (3) sylvae tam refertae erant ut cultro et securi saepe viam sternere deberet viator.

Cum vegetatio varia admodum sit secundum anni varia tempora, tum totius regionis adspectus, in variis insulae partibus, est tam diversus, ut congrue flora in tres partes dividi queat, quarum una nucleum montuosum partis mediae complectitur, altera oras et tractus quosdam septentrionales, tertia demum meridionales.

---

(1) MINAUT, l. l. II. 296, sq.

(2) Anno 1821, 24 Martii, prope *Bonorva*, nix copiosissima cecidit. Idem locum habuit hieme ejusdem anni, qua in toto littore septentrionali maris mediterranei immensa nivis copia observata.

(3) FINKE, l. l. I. 29, ex opere infra laudando.

prior praesertim convenit cum flora Corsicana, altera magis ad Italiae septentrionalis maritimam accedit, tertia cum Africae borealis flora summam affinitatem habet. Haec alterna vice et amoena et tristis est, primo vere laeta viriditate ornantur arva et agri usque ad initium aestatis superstite. Media vero aestate in littoribus ac in planitie universa ariditas esse solet. Deficiunt ibi generatim arbores, quae in interiori parte abundant. In septentrionalibus praesertim colitur olea, unde hujus per totius anni curriculum adspectus idem sit atque aequabilis necesse est.

Summaria praecipuorum vegetabilium distributio haec erit. *Pinus maritima* potissimum in parte occidentali et prope insulam *San Pietro* occurrit. Montes altos partis interioris tegunt castaneae et juglandes, inter quas etiam inveniuntur *Acer campestris*, *Carpinus Betulus*, *Quercus Suber* et *sempervirens*. Passim hîc inveniuntur *Juniperus Oxycedrus*, *Ilex aquifolium*, *Arbutus Unedo*, *Phylaria arborescens*, *Myrtus communis*, omnes insolitae et in regionibus magis septentrionalibus prorsus incognitae magnitudinis. In collibus *Pyrus communis* et *Olea Europaea var. sylvestris* frequentes sunt. Ericeta variis ericae speciebus teguntur, abundantia autem insignis est *Erica arborea*, quae ad magnam saepe altitudinem pervenit. His intermiscentur *Rhamnus Alaternus* et *Oleoides*, *Zizyphus vulgaris*, *Paliurus aculeatus*. Inculta praeterea tenent cisti variae species, *Pistacia Lentiscus*, *P. terebinthus*. *Nerium Oleander*, floribus pulcherrimis roseis, in planitie cujuscunque rivuli ripas ornat. *Tamarix gallica* potius maris viciniam amat, attamen inter Neria mixta passim invenitur. In meridionalibus denique florae australis pe-

culiarem indolem indicant *Chamaerops humilis*, *Phoenix dactylifera*, *Cactus Opuntia*, *Agave americana* (1).

Incolae. Sardi sunt statura mediocri, justa membrorum proportione, agiles, formae tenerae [*taille très fine*], cruribus torosis ac rectis, faciei colore subfusco [*un peu bronzé*], oris habitu vivido et ingenioso, capillis et oculis nigris. In tractu meridionali facies est colore laetiore, forma rotundiore, ossibus jugalibus magis prominentibus, in ditione contra *Sassari* facies magis ovalis, nasus aquilinus. Feminae admodum venustae sunt, quamvis cutis color satis fuscus sit, oculis magnis, nigris, vividis et forma tenera [*finesse de taille*]. Jam annis 14—16 maturae, valde fertiles et, regionis calidae habita ratione, satis diu vigorem et nitorem servant [*conservent leur fraicheur*]. Mores sunt ex Hispanorum et Italorum mixti, illorum habent ingenii nobilitatem, animi magnitudinem, pietatem summam et sinceram, amoris et odii constantiam, horum astutiam et ingenii sagacitatem [*grande activité d'esprit*]. Omnibus communis est, vindictae cupiditas, et odium implacabile ex quo homicidia plurima oriuntur, quia lex talionis usque ad initium hujus seculi consuetudo erat omnibus legibus major, et vel hisce temporibus summi imperantis omnis requiritur auctoritatis vis ut legum debita hoc nomine sit observantia. Jura hospitii apud omnes tam sancta habentur, ut ne *Banditti* quidem illa violarent.

---

(1) Pag. 164 et sq. operis saepius laudati invenitur catalogus, arborum et fruticum indigenarum sint spontaneae seu cultae; fructiferae numero sunt viginti tres, quaeque alius sunt usus oeconomici quadraginta quinque.

Incolarum victus et diaeta multis nominibus cum antiquo Romanorum convenit. Ruricolarum et plebis vestimentorum major pars a vestibus ejusdem generis Romanorum repetenda est. Nonnullae vero jam ante Romanorum imperium erant in usu, cum aliae videantur esse originis orientalis, at ditiores morem Franco-Gallicum sequuntur (1).

In aedibus mariti cum uxoribus, hospites et aegri lectis utuntur, at reliquae familiae culina simul est cubiculum [*dortoir*]. Post coenam, Deo gratiis actis, quisque storea substrata humi decumbit, ita ut pedes focum spectent, et sic quidem sine ullis aliis tegumentis dormiunt. In urbibus pauperiores tantum hoc more utuntur, ruri vero omnes. Mane quisque lectum istum complicat, in angulo deponit et culina iterum idem habetur locus. Haec storea ad summum duos pollices crassa est, talis dormiendi modus igitur non nisi in terrae regionibus calidissimis tolerabilis esset.

Victus maximam partem vegetabilis est ; panis optimus summae albitudinis, etiam ille quo pauperiores utuntur (2). Multae tamen hujus sunt species prout pistus sit ex farina *Simbula*, *Poddini*, *Furfaru* (3). Prioris ge-

(1) Vide apud auctorem omnibus numeris absolutam et doctam de vestitu dissertationem a pag 202—281. Hanc omittamus quia non hujus loci esse videtur; liceat tantum illud annotare, quod majorem curam in vestibus adhibent aestate quam hieme, vulgoque numerum et volumen vestimentorum augent, ratione caloris habita.

(2) Facete monet auctor: » On est souvent frappé du contraste, » offert par la couleur des mains et du visage de quelques » uns de ces hommes et celle du pain, qu'ils portent a leur » bouche. On peut faire une remarque absolument contraire » dans le nord de l'Europe. l. l. p. 237.

(3) Respondent his vocibus Romanorum *Simila*, *Pollen*, *Furfur*.

neris est optimus. In quibusdam locis, v. c. *Marghine*, *Goceano*, *Ozieri*, utuntur placentis sub cinere coctis. In aliis interioris Sardiniae regionibus pane vescuntur secalino. Peculiarem mentionem meretur panis, quo utuntur in quinque pagis tractus *Ogliastra* [*Baunei*, *Triei*, *Ursulei*, *Arzana* et *Gairo*]. Componitur nempe glandibus quercinis [fructibus *Quercus Ilicis*, neque *Q. Ballotae* cujus glandes dulciores] bene coctis et in pultem redactis. Massam aquâ terrâ argillosâ, unguinosâ gravi admixtâ, in placentas minutas ac planas dividunt, quas pauxillo cinere conspergunt ne mensae se agglutinent, illas vulgo illinunt axungia porci. Alterum hoc est, quod invenimus, geophagiae in Europa australi exemplum. Loquendi modus *aqua gravis* [*eau imbibée*], satis est vaga; non affirmare igitur possum utrum cibi an condimenti loco veniat, quod potissimum a rata quantitate pendet. Constat saporis esse ingrati et sanitati admodum nocere, teste MARMORA, qui experiundi gratiâ ipse hujusmodi pane usus est (1).

Pauperes vere et aestate vescuntur caulibus cardui, foeniculi, aliisque plantis medulla abundanti plenis, pulpa *Chamaeropis humilis*, et fructu *Cacti Opuntiae*, quem vocant *Fica Morisca*. Prioribus inprimis utuntur feminae.

Pro situ meridionali multa carne utuntur, quod apud plurimos forsan a vita laboriosa videtur repetendum. In urbibus caro bubula et vaccina, in vicis et pagis ovilla et capraea vescuntur, numquam autem juvencos mactant. Venatio iis magnam etiam victus partem praebet, cum insula scatet cervis, apris, aliisque feris. Nul-

(1) Pollicetur in nota plura peculiari de hoc singulari pane in altera operis parte. Haec autem, testibus bibliopolis Parisiensibus, numquam prodiit.

lius autem usus praesertim hieme tam vulgaris est quam suillae carnis. Est illa summae praestantiae. Carnem vulgo assant in veru; pastores praeterea et ruricolae peculiari hujus parandae ratione utuntur, ulterioris examinis non indigna. Fossam in terram effodiunt cujus fundum applanant et emundant. Huic foliis et ramis tecto imponunt carnem vel etiam totum animal recens mactatum, quod strato leviori terrae tegunt. Eodem loco ignem accendunt magnum, quem per multas horas copiose alunt. Sic oves, porcos, tauros, juvencos assant, et quibusdam diebus festivis pastores parvulum suem [*cochon de lait*] in ove includunt, utrosque iterum in juvenco. Haec simul eo, quem descripsimus, modo praeparant(1). Consuetudo infra solum cibum parandi est orta partim a furibus, quia celerrime furta abscondere possunt quae assant (2).

Coenas lautas amant Sardi. In vini usu contra sunt sobrii, rarissime certe post coenam ebrii reperiuntur.

Hisce igitur fusius satis descriptis, ultimo loco videamus quae dicenda sint de morbis in Sardinia endemiis

---

(1) Hic mos olim apud Romanos viguit, nam sic intelligendus *Porcus Trojanus Macrob. Sat.* II, 9, neque uti voluit Adam, (*Antiquités Romaines traduit de l'Anglais. Paris, 1808, II. p. 273*), *farci de la chair d'autres animaux.* Cf. Voyage de Polyclète ou lettres Romaines, par le Baron ALEXANDRE DE THEÏS. Paris 1822, 2. edit. II. pag. 3.

(2) MARMORA, l. l. 239, adjecit: » Aussi plus d'une fois, le » propriétaire d'un animal qu'on venait de voler, et qui » allait à sa recherche s'est assis autour du feu ou cuisait » son mouton, sans de douter que les gens qui l'invitaient, » à se placer près d'eux, étaient précisément les mêmes qui » l'avaient dérobé.

et maxime vulgaribus. Potissimum hac in re tractanda secutus sum Doct. MORIS, med. practicae professorem in Academia Caraliensi (1).

Jam ab antiquissimis inde temporibus insaluberrima habita est Sardinia, et jure merito, cumque hodie post tot secula praeterlapsa vis nocendi magis sit adaucta quam imminuta, idem judicium de ea tuto ferre possumus. PAUSANIAS, CLAUDIANUS, STRABO, CICERO, TACITUS, POMPONIUS MELA, CORNELIUS NEPOS, MARTIALIS, SILIUS ITALICUS, communi consensu inter insalubriores regiones referunt insulam. Ne vero totam insulam simul insalubrem dicamus, in montibus, v. c. et planis altioribus, incolarum sanitas non pluribus exposita est viribus nocentibus neque gravioribus, quam aliis in locis ob omni aevo saluberrimis habitis. Alii tractus et quidem plurimi quibusdam solummodo anni temporibus deteriorem in hominum sanitatem effectum exhibent, pauciores per totius anni ambitum inhabitabiles sunt. Utrosque incolae vocant *Intemperiosos*, et vocem *Intemperies*, quae potius ad ipsius tempestatis et temperiei variationes pertinere videtur, sensim ad morbum inde oriundum transtulerunt. Istos locos vero enumeremus.

I. In parte Meridionali:

1. Tractus inter *Capo Terra* et stagna prope *Cagliari*, majori ex parte paludosus.

(1) Communicavit ille cum auctore s. l. equite MARMORA, dissertatiunculam quam proprio titulo: *Notices sur les principales maladies qui regnent dans l'île de Sardaigne*, quasi appendicem operi supra laudato adjunxit, pag. 447—505. Cf. etiam MIMAUT, l. l. II. p. 321—341, inprimis de febre *intemperie* et epidemia quae anno 1816 in urbe *Cagliari* grassata est.

2. Planities fertilissima *Pula* (1). Solum argillosum, partim incultum, hieme multis in locis submersum. Exposita est Austro et Solano dum montes Septentrionem et Aquilonem arcent.

3. *Teulada.* Aqua torrentis in profundioribus stagnat, dum prorsus siccus ceteroquin aestate sit.

4. Idem valet de *Flumini major.*

5. In circuitu sinus *Palmas* multa stagna salsa, praeterea hieme et vere magna agrorum superficies inundatur.

6. Idem observatur prope *Porto Scusa* et *Porto Paglia.*

7. *Oristano* circumdatur stagnis extensis.

8. Prope *Bosa* maris fluctus rivi aquas repellunt, hic inde limites transgreditur et partem riparum in stagna mutat.

II. In parte Septentrionali:

1. Planities ad radicem montium *Nurra*, partim hieme torrentibus et rivis, a montibus descendentibus, inundatur. Hae paludes aestate demum exsiccantur

2. In planitie *Porto Torres*, quae tota fere inculta, multa loca depressa hieme aquis replentur, et prope ostium rivi *Torres*, ex eadem causa quae prope *Bosa* paludes gignit, multae reperiuntur aquae stagnantes.

---

(1) Fiske, III, p. 55. Haec inter omnes febrium frequentiâ eminet; insalubritatis fama ita vulgaris est ut caveant a fructibus ibi crescentibus; incolae fruges aliaque quae arva proferunt nundinis adferentes, in corbibus ☠ pictum habere debent, ut quisque sciat illa ex lethifera regione allata. Interim contendunt, hosce fructus aliis non magis noxios esse, neque urbis *Pula* militare praesidium illic plus insalubris aëris effectum sentit, quam aliis in locis.

3. Prope *Lungo Sardo* stagna formantur aquis marinis procella dimotis, quae postea fluctibus decrescentibus remanent.

4. In campis prope ostium *Coguinas* profundiora ininveniuntur, hieme et vere aquarum plena, aestate paludosa.

5. Idem obtinet in agro *val de Liscia* et circa sinum *di Assequena.*

6. *Terranova* circumdatur stagnis salsis.

7. *Siniscola*, *Orosei*, *Muravera*, aliaque loca littoris orientalis, ubi rivulorum ostia, vel stagna vel latam superficiem paludosam, per majorem anni partem habent.

III. Interiora insulae habent:

1. *Campidano di Samassi*, solo argilloso saepe submerso.

2. *C. di Ales.*

3. *Campo di Sant Anna* imbribus et torrentibus quotannis in locis depressis submergitur.

4. Idem valet de planitie *Ghilazza*, *Pauli-Latinu* et *la Tanca.*

5. Aquae exitu carent in *Campo Giavesu*, prope *Bonorva*, qui ferme incultus manet.

6. Sic etiam *Campo Lazzaro* et

7. *Campo d'Ozieri.*

Omnia haec loca intemperiei obnoxia arboribus et fruticibus carent.

Grassatur ibi febris, *Intemperies* (1) dicta, quae est

---

(1) Cff. de hoc morbo: Medicinale patrocinium, etc., in quo natura febris Sardiniae, etc. describitur, ejusdemque Sardiniae calumniam, quam a priscis illatam habet, vindicatur, auctore GAVINO FARINA, etc. Venetiis, 1654. Tractatus de febre intemperiae, sive de mutatione vulgariter

intermittens, vel remittens simplex vel maligna; typus autem frequentior est continua remittens. Symptomatibus autem hisce insignitur: epigastrium seu aliae abdominis regiones tenduntur, sub pressione dolent; lingua margine et apice rubra, basi et centro muco obducta, vel tota ruberrima, quasi ardens. Respiratio vulgo difficilis, sitis ingens, cutis ardens, cephalalgia, lassitudo, sensus contusionis in articulis et artubus, meteorismus, obstructio, alvus mucoso-biliosa. Morbum progressum significant delirium, stupor, lingua fuliginea. Haec autem symptomata variant a minimo gradu febris adeno-meningeae vel meningo-gastricae, ad summum febris ataxicae Doct[i]. PINEL; quamvis typus minime constans et aegri iisdem locis, similibusque rebus circumdantibus, affecti, alii laborant febre remittente simplice, alii intermittente, alii denique continua remittente; generatim tamen typi nisus ad intermissionem ratione inversa est radiorum solarium vi. Morbi periodus varius, vulgo aliquot diebus post infectionem febris accenditur, et plus minusve diu durat secundum morbi vim et curam congruam. Terminantur saepe in morbos chronicos, et hepatis vel lienis relinquunt obstructiones.

---

dicta regni Sardiniae, etc.; auctore D. PETRO AQUENZA et MOSSA. Matriti 1702. (Illum etiam cit. PINKE, l. l. III. 55). Di Due morbi febbre intemperie e pleuritide che nella città di Cagliari spesseggiano; del Dottore ANTONIO IGNACCHERA. Napoli, 1740. Di alcuni pregiudizi antichi sulla così detta sarda intemperie etc.; del Dottore PIETRO LEO. Cagliari, 1801. GEMELLI, Rifiorimento della Sardegna. Torino, 1776, vol. I, pag. 70. (Horum operum a Doct. MORIS, l. l. 501, in nota citatorum nullum vidi.)

Autopsia semper inflammationis vestigia ostendit variarum partium, saepius quidem canalis cibarii, inprimis ventriculi et tenuium, mucosa nunc lactius rubet, nunc magis violacea vel fusca, in intestinis saepe incrassata, muco bilioso tecta, interdum emollita, rarissime ulcerosa. Interdum post febres vehementiores observatur intestinorum inter se adhaesio, peritoneum inflammatum vel mesenterium, gangraena omenti magni, vel etiam pus in peritonei cavitatem effusum, hepar vulgo durum, magnitudine adauctum, lien emollitus. Rarius inflammationem invenerunt arachnoideae et piae matris, neque crebrius medullae spinalis et pulmonum.

Inter morbi causas primo loco veniunt stagna, paludes, quorum aquae principibus organicis a putredine tot animalium et plantarum abundant. Radiorum solarium fervor, exinde elicit vapores primo aquosos tantum, dein variis principiis insalubribus graves. Quod revera haec miasmata in aërem atmosphaericum adscendunt, inprimis probant pluviae illa post aridam aestatem iterum praecipitantes, hinc primo nocentes, dein vero summopere utiles, quia miasmata tum non amplius surgere possunt. Solum argillosum ex omnibus insaluberrimum, majorem enim fert humi quantitatem et aquis non facile pervium est. Ne vero credatis istud solum febrium genesi favere, nam quorundam tractuum aeque insalubrium uti *Nurra*, *Bosa*, solum calcarium est. Nec venti calidi atque humidi sunt omittendi, nam in locis his expositis, morbus semper cum frequentior tum vehementior est. Hisce accedunt errores in diaeta, praesertim apud advenas obvii. Veteres illud plurimum valere putaverunt, quod

Septentrio excludatur, primo montibus altis insulae Corsica, dein jugo *Lymbarra* et *Nurra* in septentrione ipsius Sardiniae; sed ne nimis huic tribuamus, nam uti supra vidimus non prorsus excluditur, sed ab impetu tantum frangitur Septentrio et ad maximum incolarum emolumentum saepius flat. Negari tamen non potest, si liberior aditus huic vento concessus esset, facilius miasmata propulsatum iri, sed idem effectus haberet Caurus, creber ac vehemens; melius igitur a locorum situ Austro patentium et contra Septentrionem et Aquilonem defensorum, quam ab hujus defectu vera causa repetenda videtur.

Quidam insalubrium locorum jam Romanorum tempore fama permansit in hunc usque diem cum proprietates nocentes servarunt, uti luculenter ex variis nominibus, hisce temporibus in usu patet, v. c. *Pauli Latinu*, *P. Sitzamus*, *P. Pirri*, *P. Arbarei*, *P. Gerrei*, nova autem plurima accessere uti, *Terra nova*, *Porto-Torres*, *Pula*, quod tribuendum incolarum numero imminuto et agriculturae minus florenti. Quae optima contra insalubritatem remedia essent, ab hisce superioribus pendent; si enim major esset incolarum numerus, et congrua agrorum colendorum ars mediocri adhibita cura, stagna *San Lorenzo*, *Serrenti*, *San Luri*, *Pauli Latinu*, *d'Orosei*, exsiccari possent. Torrentes et rivi in canalibus contineri possent, qui nunc a montibus descendentes *Campo d'Ozieri*, *di Giavesu*, *San Lazaro* terras inundant. Quae vero exsiccari non possent stagna, aggeri circumdarentur ut per totum annum ad certam altitudinem servarentur aquae. In littoribus sufficeret communicationem inter mare et stagna servare. Inprimis etiam conduceret majorem arborum

adhibere curam, maximae enim essent utilitatis, cum augerent humi copiam, aquam et principia organica imbiberent, ardorem solis imminuerent et ventos impetuosos vegetationi nocentes impedirent.

In planis aucta humiditate et noctium frigore sunt dysenteriae frequentes, subitaneae variationes aëris temperaturae ad finem autumni et hieme ipsa provocant anginam, rheumatismum, arthritidem et ex inflammationum genere praesertim bronchitidem, peripneumoniam et pleuritidem. Praeter illas vulgares sunt hepatis, lienis et tubi intestinalis inflammationes. Encephalitis aestate, ab insolatione admodum frequenti, interdum oritur.

Ophthalmiae frequentes et quidem staphylomata, nubeculae et proprie sic dicta ophthalmia [opthalmia aegyptiaca, blennorrhoea oculi contagiosa], amaurosis et catarhacta minus frequenter occurrunt; lumen intensum, planities latae arboribus carentes, pulvis saepius abundans ventis excitatus, inter praecipuas vires nocentes pertinent.

Usque ad annum 1824 quotannis variolae in uno aliove tractu strages ediderunt, neque vaccinatio, quamvis summus imperans summopere eam protegat, jam ita generalis, ut salutares ejus effectus omni dubio remoto observentur.

Scarlatina interdum, v. c. anno 1821, epidemice grassatur, anginae membranaceae vero huc usque numquam epidemias observarunt, sporadica contra crebro occurrit. Post 1811 tussis quinta numquam epidemice grassata est.

Pestis orientalis inde ab anno 1552 numquam in insulam penetravit, quamvis proximam littori Africae boreali.

Neque febris flava umquam in Sardinia fuit observata, attamen humiditas calori juncta multis in locis haud secus invenitur atque in variis Americae regionibus saepius hoc malo vexatis. Numquam enim in gravissimis gastro-enteritide vel etiam gastro-entero-hepatitibus cutis flavo tingitur colore, neque vomitus niger, dolores lumbares, urinae suppressio observantur, quae solent esse febris istius symptomata characteristica.

Inter morbos chronicos primum locum tenet phthisis pulmonalis, inprimis ex frequentia morborum viae aereae repetunda.

Scorbutus frequens est in locis humidis inter egenos.

Ex hydropis speciebus ascites communior, propter crebras inflammationes ac vitia organica inde oriunda viscerum abdominalium.

Rachitis et vitia conformationis in sceleto osseo rara.

Sanguinis missiones spontaneae minime desunt inprimis haemoptysis haud raro obtinet et haemorrhoides, uti in plerisque regionibus Australibus, frequentes.

Neuroses in Sardinia sunt rariores, sic epilepsia v. c. vix observatur. Quamvis vulnera varia et frequentia, rarissime trismus traumaticus sequitur (1). Alia species crebrius olim saltem occurrebat in insula, nam ab illa nomen specificum repetiit. Risum intelligi volo Sardonicum, morbum spasmodicum valde molestum. Carthеuser (2) morbum a Trismo infantum Balearico diversum dicit, sine aetatis discrimine homines corripientem, in Occitania pariter et Sardinia frequentem. »Tanta

(1) Hoc cum Doct⁰. moris communicarunt collegae ejus D. D. Fasero et demichelis, l. l. p. 493.

(2) De morbis endemiis. Francf. ad Viadrum, 1771, pag. 60. Hunc cit. finke, l. l. I. p. 31.

»plerumque violentia os ad aurem utramque trahitur »ut patiens ridere videatur et vehemens simul cardial»gia, vomitus et aliqua mentis alienatio hanc oris tor»turam comitantur." Causam habet herbam *Ranunculus sceleratus*, *Herba Sardonia*, *Apium risus* dictam, in supradictis regionibus abundantem, quam fortuito in acetariis comedunt. Tuto, ac non sine veri specie hanc sententiam falsam affirmare possumus, quia primo loco valde improbabilis est usus fortuitus tam generalis, atque is quidem ita comparatus ut multi simul hujus effectus nocentes sentirent; altero et praecipuo loco, talis effectus *Ranunculi scelerati* hucusque non innotuit (1). Prognosis secundum CARTHEUSER minus fausta, »saepe ait, hoc malum, nisi citissima medela adfe»ratur, lethiferum evadit." In cura commendat aquam mulsam et lac dulce tepidum, copiose haustum, et generatim mucilaginosa, gelatinosa et unguinoso-oleosa, labiorum et genarum frictiones cum linteis mollibus calefactis, fomentationes ex speciebus emollientibus cet.

SCHMALZ (2) Sardiasin [parastremma, tortura oris spasmodica, *Mundkrampf*] distinguit in spasmum seu trismum cynicum [*Hundskrampf*], labiorum spasticam contractionem versus aurem alterutram, et in trismum seu risum Sardonicum [gelasmus, sardoniasis, cachinnus convulsivus, *Krampflachen*], contractionem aurem versus utramque. Distinguitur a trismo neonatorum et trau-

(1) MIMAUT, l. l. II. 629, herbam Sardoniam seu sceleratam veterum dicit convenire cum »*la berle à larges feuilles.*" Haec secundum DE CANDOLLE et DE LAMARCK (*flore Française*, *IV. 299*) est *Sium latifolium L.*

(2) l. l. pag. 63, n°. 539.

matico defectu agglutinationis quasi immobilis maxillae inferioris (1).

Num hisce temporibus adhuc in insula tam frequens sit affirmare non ausim, cum apud nullum auctorem hujus mentionem factam invenerim, quin etiam hac de re equidem dubitarem ferme, quia de affectionibus spasmodicis et inprimis de trismo traumatico agens Doct. MORIS hunc risum Sardonicum omnino praetermittit.

Hydrophobia, rarissime in Sardinia observatur, quamvis aestate aquae ferme deficiant, et multi canes in campis aridis vagentur. Hoc exemplum cum testimonio Docti. THIERRY de *Castilia* egregie conveniens, probat libertatem optimam contra rabiem canibus esse cautionem. Notum est praeterea, Constantinopoli ubi milleni canes libere per urbem vagantur, numquam rabidum observari.

Inter morbos nervosos hypochondria vulgarior est propter frequentiam morborum viscerum abdominalium. Hinc etiam melancholia et mania inter mentis alienationes, quae ceteroquin rarae, saepius occurrunt.

Cretinismus tam raro in insula observatur, ut vix endemicus dici queat. Unum cretinum vidit ipse MORIS in pago *Aritzu* sito in furca obscura profunda. Ante aliquot annos, hujus soror eodem morbo affecta, mortem obierat. Difficile tamen dictu est, utrum duo haec exempla revera sola exstent, an potius observatio minus accurata fuerit.

Ultimo loco verbo dicamus de Tarantismo, in alia regione extra Sardiniam creberrimo; fusius de illo postea

(1) SCHMALZ, l. l. p. 63, n°. 538.

agemus in regionis, ubi famosior est, descriptione, sufficiat hîc animadvertere, etiam in Sardinia morbi istius existere exempla. Negari vero non potest, tantum abesse ut casus hodie duntaxat veri observentur, ut magis ad praejudicatam populi opinionem illud pertinere videatur; frustra enim Doct. MORIS et auctor MARMORA in vere anni 1825 aegros hoc morbo affectos quaesivere, ac ne unus quidem Medicus, ab iis hac de re interrogatus, umquam ejusmodi casum observavit. Interim ferunt morsu araneae lingua Sarda *Arza* seu *Argia* dictae, tarantismum provocari. Distinguunt speciem in *A. bugadia* [virginem], *A. cojada* [maritam], *A. viuda* [viduam] (1), haec causa esset tarantismi melancholici, prior tar. choreae; cura communis chorea est musica comitata donec sudores copiosi sequentur. In pago *Ozieri* vulgo rustici fimo tecti per 5-6 horas radiis solaribus sese exponunt ut sudorem provocent.

---

(1) Sunt hae potius varietates, a sexu et magnitudine pendentes. Est autem *Theridion 13-guttatum* Latreille, (p. 98, n°. 3), quod descripsit WALCKENAER, tab. p. 81 nomine *Latrodecte malmignatta* et ROSSI nomine *Aranea 13-guttata* (*Fauna etrusca*, *Tom. II*, *p. 136*, *tab. IX*, *fig. 10*). [Nota auctoris MARMORA, l. l. p. 495]. Cf. porro CUVIER, *Règne animal ed. 1817*, *III*, *p. 85*, ubi vocatur *Theridium malmignatta* et J. V. D. HOEVEN, *Handboek der Dierkunde*, *I*, *383*.

4. SICILIA.

AUCTORES.

L. L. FINKE, l. l. I. 34—42. III. 57—60.

J. C. L. ZIERMANN, Ueber die vorherrschenden Krankheiten Siciliens, nebst einleitenden Bemerkungen über die Aerzte, die Medicinalverfassung und die Aufklärung dieses Landes mit besonderer Beziehung auf den Zeitraum vom Jahre 1808—1814. Hannover, 1819.

Letter on Sicily, by the late WILLIAM IRVINE. London, 1813.

Some observations upon diseases, chiefly as they occur in Sicily, by WILLIAM IRVINE. London and Edinburgh, 1810. (Opus a filio superioris editore in nota et appendice laudatum quod non amplius prostat).

P. BRYDONE, F. R. S. Reize door Sicilië en Malta. (Opus ex Anglico sermone versum, Amsterdam, 1789.)

Insula propter formam triquetram olim Trinacria dicta, postea etiam Sicania, sita est inter 36° 34′ et 38° 47′ lat. Bor. et inter 29° 42′ et 33° 23′ long. Or. a *Pico de Teneriffa*. Inter omnes maris Mediterranei insulas, hujus prior cum continente cohaerentia luculenter admodum apparet: distat enim tantum tres quartas milliarii partes a Calabria et montis Appennini ramus occidentalis, post brevem istam per fretum Messinense interruptionem, usque ad *Trapani* continuatur in direc-

tionem occidentalem. Duo ex hoc jugo procedunt rami, ad meridiem tendentes, alter prope *Nicosia*, alter prope *Petralia*, plures praeterea minoris momenti. Est igitur regio valde montuosa. Mons Aetna maximus et altissimus est totius Europae mons ignivomus, et quidem ita situs ut prorsus ab aliis jugis sejungatur. Quamvis aquarum non sit inopia fluvii tamen navigabiles desiderantur. *Salso*, *Giaretto*, *Noto*, pluresque alii potius sunt torrentes ac maxima ex parte aestate sicci, hieme et autumno ita aucti, ut super ripas effusi, omnia secum rapiant, dicuntur vulgo *Fiumari*. Solum calcarium vulcanicum ; lava post annos aliquot humo tegitur optimo, unde fertilitas insignis hujus insulae explicari potest. Olim enim horreum Romae dicebatur, nunc vero agricultura ibi nimis est neglecta, quapropter non amplius hoc nomen meretur. Tanta tamen hujus soli est fertilitas, ut facillime plus proferat quam incolis opus sit. Frustra quaeruntur, quae in Sardinia tam frequentia invenimus, stagna et paludes, sed contra abundant cavernae et excavationes aquis magnam partem repletae.

Aquae medicatae (1) in Sicilia inveniuntur:

I. Sulphurosae.

1. *Castro-Giovanni.*
2. *Corleone.*
3. *Jacci Reale.*
4. *Noto.*
5. *Piazza.*
6. *Palermo.*
7. *Paterno.*

(1) L. L. FINKE, III, 58 et 59. H. G. BRONN, Skizzen uber Italien, II. p. 261. (Vide cap. 3, titulum hujus operis completum).

II. Saponaceae.

1. *Messina.*
2. *Jacci Reale.*

III. Vitriolinae.

1. *Gampiliari.*
2. *Livari.*
3. *Petralia.*

IV. Martiales.

1. *Accia.*
2. *Alkalia.*
3. *Corleone.*
4. *Palma.*

V. Salinae (Salia neutra continentes).

1. *Guiltano.*
2. *Piana dei Greci.*
3. *Palermo.*

VI. Thermae.

1. *Ali.*
2. *Bayut.*
3. *Calofaro.*
4. *Cephalu.*
5. *Termini.*
6. *Sclavani* (Martiali-alcalino sulphureus fons 42°. R.)
7. *Sorgente de Sacha* prope montem *delle Gemme.*

Aëris temperies. Jure inter calidissimas Europae australis refertur regiones; numquam enim frigus ibi majus sentitur et aestates semper ad suffocationem usque fervidae solent esse. Harum temperatura media est 84°—86° Fahr., interdum etiam multo altiorem gradum attingit, ut ipse ZIERMANN hora quarta pomeridiana saepe vidit 92°, et primo die Julii 1813, hora tertia pomeridiana 96°; radiis solis expositus usque ad 110° mercu-

rius adscendit in thermometro. Barometrum notat gradum 27,3 usque ad 28,4. Sed, ut melius aëris habitum intelligamus, anni tempora describamus.

Ver mense Martio jam incipit. Est aër tum purus, subtilis, coelum serenum, pulcherrimi coloris coerulei. Mane et vespere satis frigidum est coelum, interdiu calor gratus sentitur, nebulaeque foetidae et exhalationes e terra adscendunt humidae, quae crepusculum comitantur, dein disperguntur, ac plerumque in coelo sereno nullum nebularum vestigium remanet. Aliquando fertilitatem pluviae augent, quibus cerealia munera mense Majo ad praecocem maturitatem perducuntur.

Aestas. Ad finem mensis Maji calor sensim augetur, veluti mensibus quoque duobus sequentibus, usque dum mense Augusto summum attingat gradum, qui cum in totam rerum creatarum constitutionem et animantium vitam, tum in totius naturae adspectum vi sua vehementer agit. Solum largis fissuris aperitur, herbae marcescunt, arborum folia languida dependent, rivi ac fluvii omnes aqua destituuntur, tenuissimum in majoribus aquarum filum inutile pristinae ubertatis vestigium. Omnis viriditas perit, nisi vites excipias, quae solae grato colore oculos delectant et tristem naturae adspectum quodammodo exhilarant. Nec jucundius in vitam animantium agit. Transpiratio ita augetur, ut perfecta quiete et tenuissimo vestitu ingens sit. Appetitus minuitur, victus ex carne animalium quorumcumque desumtus nauseam provocat; color faciei laetus abit, torpent et corporis et animi vires. Languent omnes, ita ut meridiani temporis quies et somnus sit necessarius. Omnes igitur et divites et pauperrimi ita dicta *Siesta* utuntur, neminem tum nec in viis, nec domi ad nego-

tia paratum offenderes. Intolerabilis autem iste calor feliciter quodammodo temperatur vento marino, a meridie ad horam usque tertiam pomeridianam flante. Idem ventus paullo ante solis ortum et post ejus occasum aërem refrigerat. Vespere igitur vita languentium demum excitatur, hominibus iterum urbium viae et plateae replentur; torporem nova quasi vita excipit. Per aestatem hoc tempus usque ad mediam noctem est jucundissimum totius diei, plures tum homines ambulatione vel etiam saltatione atque cantu delectantur.

Autumnus. Ad finem mensis Septembris (1) aestus, minuitur, coelum nubibus tegitur, et repletur nebulis atmosphaera, quas mox imbres sequuntur, qui tamquam torrentes de coelo cadunt; ilico rivi, quos aestas exsiccaverat, ad ingentes fluvios increscunt. Durant vulgo per 6—8 hebdomades. At interdum non stato tempore, sed serius ingruunt, rarissime prorsus desiderantur, neque hoc nisi summo regionis detrimento. Fulmina et tonitrua, per integros dies saepe continuantur totiusque coeli faciem pallido-rufam reddunt. Procellis et imbribus ingrata quamvis sit haec tempestas, regioni tamen est maximo beneficio. Etenim aërem aestuosum ac suffocantem purgant, miasmata praecipitant, aridumque ac exhaustum solum novis fructibus frugibusque alendis praeparant hae procellae. Elementorum tumultui succedit grata et aequabilis aëris temperies. Rursus serenum fit coelum, aër temperatus, amoenus ac jucundissimus exhaustum corpus re-

(1) Ziermann, l. l. p. 70. Irvine contra, l. l. p. 240, dicit jam ad finem Augusti vel initio Septembris pluvias incipere, calorem vero adhuc per aliquod tempus usque ad medium Septembrem pergere, postea celerrime imminui.

creat. Novas acquirit vires regnum vegetabile, novo, ut ita dicam, vestitu ornatur; aër non amplius idem est, sed in alterum et jucundiorem mutatur. Fibrae pristinum tonum, mens amissum vigorem recuperat. Verbo, totius anni illud gratissimum tempus est.

Hiemem constituunt menses December et Januarius, hisce aër purus est et frigidus, potissimum noctu; arva et viae interdum nive teguntur, quae in parte septentrionale prope *Messina*, *Molazzo*, in montibus interdiu remanet, in urbibus vero ad horam meridianam liquescit. Minores fossae, aquis stagnantibus plenae, interdum teguntur crusta glaciei mox evanida.

Venti. Septentrio, per hiemem prae ceteris regnans, frigidus est, et in meridionali parte prope *Augusta* et *Siragossa* [Syracusas] frigidior, quam in septentrionalibus, quia frigus a monte Aetna, aeterna nive et glacie tecto, adfert.

Zephyrus pluviam excitans inprimis per autumnum observatur, quique ab Austro oriuntur venti calore humido notantur. Pessimus inter illos est *Scirocco*, qui non solum nocet propter ingentem calorem, aquae vaporibus gravem, quem ex Africae desertis post longum trans mare decursum spatium affert, sed effectu suo ac vi potissimum peculiari, quam in animantium corpora exserit; simulac iste ventus flat, subito omnes vires languent, respiratio fit anxia, anhelitus movetur, cor palpitat, anxietas excitatur summa, si diutius perdurat, melancholiam, nostalgiam ac desperationem provocat. Sentiunt hos effectus perniciosos inprimis phthisici et qui vulneribus ulceribusque laborant, haec enim tunc continuo ac sponte ingravescunt, suppuratio benigna sistitur, ichor saniosus loco puris

blandi secernitur (1). Animalia adversus vim ejus nocentem ita tuta se praestare conantur, ut faciem aversam quam proxime fieri potest terrae admoveant. Et in regnum vegetabile effectus ejus animadvertuntur perniosi. Est tristis totius naturae adspectus. Vinum hoc tempore lagenis inclusum semper turbidum manet. Instrumenta, quibus aëris atmosphaerici status vulgo determinatur, sub illius flatu has subeunt mutationes: Mercurius in thermometro 3°—4° gradus adscendit; hygrometrum summum humiditatis augmentum indicat; barometrum contra descendit, omnia attingentibus madent (2). Testantur peregrinatores rarius ultra viginti quatuor horas eum perdurare, quod autem ex ZIERMANNI sententia minus verum videtur, qui saepius per tres ad quatuor dies continuos eum flantem observavit. Auctoris observationi eo magis fidendum est, quod per aliquot annos littora incoluerit, ubi saepius flat.

Fertilissimae insulae propria est vegetatio splendida, plantae et arbores, quae in Europa australi vigent, nusquam ibi tam laete crescunt. *Citrus Aurantium* et *medica* optimos fructus summa abundantia proferunt.

Loca deserta tegit *Chamaerops humilis*, quae lata

---

(1) Dolores Rheumatici aggravantur. IRVINE, l. l. p. 247, in nota. In contextu ipso falso perhibet, hunc ventum non ita nocere ac quidam existimarunt » whose qualities howe» ver have been greatly exaggerated. It seems to derive » its peculiarities from its superior heat and dampness, never» theless I have not been able to observe any influence exer» ted by it upon diseases."

(2) IRVINE, l. l. in eadem nota.

sic format ericeta (1). *Phoenix dactylifera* et culta et subspontanea hìc crebro occurrit; *Cactus Opuntia* vero tanta abundantia, ut autumni tempore fructus, ficuum Indicorum nomine, pauperum praecipuus victus sit. In monte Aetna deëst quidem vegetatio Alpina, sed priva flora multis ornatur florum speciebus, quas frustra alibi quaereas; in universum Sicilia multis gaudet peculiaribus plantis quo nomine ejus flora nec minus celebris est quam frequentiâ plantarum aromaticarum. Veterum testimonio planities *Enna* herbis odoris erat adeo referta, ut canes vestigia ferarum amitterent; hanc laudem eo nomine veram esse apparet, quod plurimis locis aër dulcissimo aromate plenus ac refertus reperitur.

Abundant in montibus sylvae, inprimis castaneae, quae in Aetna peculiarem ferme constituunt regionem. Credunt nonnulli, se frumenti speciem ibi et quidem *Hordeum vulgare* L. spontaneam invenisse, sed dubia

---

(1) Communi nomine tractus late patentes, inculti, eodem fruticis genere tecti, ericeta vocari possunt. Inter illa in Europa obvia potissimum distinguenda:

1. Quae occupat *Erica* seu *Calluna vulgaris*. In patria v. c. Germania, Dania, Hibernia, Scotia, Suecia, Russia et quibusdam partibus Angliae.

2. Alia tenent Ericae species arboreae, v. c. *lusitanica* et inveniuntur in Lusitania.

3. Haec teguntur *Ulice Europaea* et partim etiam variis speciebus Genistae (*scoparia*, *tinctoria*, *pilosa*) occurrunt crebro in Anglia, hìc et illic etiam in Hispania. (In patria rarissimae neque extensionis notabilis).

4. Occupant variae Cisti species, quae planitiei editae Hispanicae propria sunt.

5. Quae in Hispania meridionali et Sicilia inveniuntur tenet *Chamaerops humilis*. Cf. HAUSMANN, l. l. p. 188.

talis est observatio, cum difficillimum sit affirmare, eam spontaneam aliquo in loco crescere, nec ab homine, avibus aliove casu fortuito allatum esse. Extra omne dubium certe esset, si inveniretur in regione per longissimum locorum circumjacentium intervallum prorsus inculta; hucusque potius aufugas habeamus, specimina nonnunquam ab auctoribus spontanea dicta.

Incolae. Si ditiores excipias, piscatores et agricolas, Siculi sunt debile hominum genus, illi vero cum ceteris Europae insularum australium incolis conveniunt; statura generatim minores sunt, quam Sardi, nec tam robusti atque agiles.

Mores. Animi motus sunt vehementiores, amor et odium maximum, vindictae cupiditas ingens est, uti apud plerosque Europae australis populos, diu ignem absconditum sub cinere fovent, donec tandem erumpat, et tempus ultionis opportunum veniat. Mores generatim sunt magis depravati quam in ceteris, de quibus egimus, maris mediterranei insulis; de syphilide agentes plura hac de re dabimus. Sermo iis est vividus, sonorus, creberrimis gesticulationibus ornatus.

Victus majori ex parte vegetabilis est, scilicet olera, fructus, olivae, confectiones farinaceae (*Nudeln und Pasta* (1)). Incolarum sobrietas est maxima; cepa, citrus immaturus sale conditus, melonis frustulum, cucurbita, ficus aliquot cum panis segmento, prandio et coenae inserviunt. Ipse auctor vidit aliquando quatuor homines uno vesci ovo tosto, postquam aliquot olivas jam comederant. Ficus magnam alimentorum partem faciunt, natura saccharata egregie in hisce regionibus calidis

(1) *Pasta* est confectio ex *Macaroni*.

valetudini prosunt, suo tempore sumtae. Galenus jam observavit, custodes vinearum et hortorum per duos menses, quibus tantum ficis vescuntur optima frui valetudine atque crassos et obesos evadere. Idem etiam hodie observatur (1). Vidimus jam pauperes Augusto et Septembri mense inprimis fructibus uti *Cacti Opuntiae*, praeterea capsulae immaturae *Capsici annui* in usum convertuntur. Hisce jungunt aromata multa, semina et pulpa *Capsici annui*, pimentum, allium, cet.

Ex regno animali potissimum utuntur piscibus, quibus mare mediterraneum prope littora scatet; siccatorum et sale conditorum praeterea multi adferuntur e mari Atlantico boreali, v. c. *Gadus Morrua*. Bubula caro aliaque herbivororum animalium quibusdam anni temporibus sapore et odore admodum ingrato impraegnatur, propter herbas aromaticas in arvis et pratis ingenti copia obvias (2). Agricolae et pauperes canes juniores lubenter comedunt (3). Omnes cibos oleo abundanti condiunt, saepe rancido.

Potus vulgaris vinum est, quo numquam fere mero utuntur. Ebrietas illis horrori est, nec facile Siculum vino deditum offendas.

In nulla Europae australis regione tantopere indulgent usui aquae glaciatae, vel potius aliorum liquorum nive admixta refrigeratorum; hujus causa in aprico est, mons enim Aetna primarius est fons, unde nivem et glaciem sibi comparant, atque per Italiam meridio-

---

(1) Ziermann, l. l. 117.

(2) Haec egregie conveniunt cum effato cleghorni, l. l. Diss. meae pag. 155 de sapore alliaceo carnis in insula *Menorca*.

(3) Irvine, l. l. pag. 31 sq.

nalem, insulam *Malta* et alia maris mediterranei loca afferunt; comparari debet cum usu spiritus juniperi, aliorumque inebriantium potionum in nostra patria et Anglia, vel ita dicti *Whiskey* et *Potteen* in Irlandia. Ditiores ipsam nivem sibi comparant, qua potus ad lubitum refrigerent, ceteri in crustallopoliis [*ghiacciaje*] aqua glaciata contenti esse debent, neque ullus quisquam ibi tam pauper est, quin semel tantum de die poculum ebibat. Ad finem cujusque coenae hac utuntur, nec tantum aestate sed ipsa hieme. Usus iste, si modum non excederet esset revera commendandus; tonicum egregium ventriculo est calore et stimulorum volatilium usu laxiore; sed saepe, inprimis moribus minus exculti, illo abutuntur. Quo gratior autem aestate fervida est refrigeratio, eo magis hic usus est periculosus, hinc peregrini facile incommoda varia plurimaque mala ex usu incongruo hocce sibi contrahunt. Incolis quidem inde a juventute huic assuetis minus nocet, attamen, ut postea videbimus, vitia digestionis laesae inter morbos communes numerantur; etenim ut rite peragatur digestio caloris requiritur gradus major in ventriculo, sanguis majori copia hoc tempore ventriculum versus ducitur, indeque tale augmentum temperaturae repetendum videtur. Si igitur utuntur glacie vel aqua refrigerata, digestione nondum prorsus absoluta, haec functio subitanea refrigeratione turbatur, idem ferme effectus sequitur, qui post balnea solet esse statim post ingestos cibos sumta; dolores nempe colici, diarrhoeae vel etiam obstructiones, inflammatio et induratio viscerum (1) et magna debilitas organorum digestionis.

(1) Zierмann, l. l. pag. 104. Cf. etiam bridone, l. l. III.

De vestitu et reliqua diaeta nihil est, quod moneam. Domus inprimis contra calorem incolas tegunt, hinc, quod quidem rarius fit, si hiems frigidior est, multa mala patiuntur, rarius tamen igne opus illis est, unde incendia in urbibus fere sunt incognita. Chlamyde teguntur vel cum fervidissimus calor est, ac dum peregrini ferme suffocantur, Siculus larga involutus chlamyde apricatione dulci delectatur.

Haec de regione, aëris temperie, de iis, quae terra profert, atque de prospera incolarum valetudine sufficiant, jam dicamus de aegris, seu potius de morbis in Sicilia endemiis et maxime communibus, qua in descriptione hunc sequamur ordinem, ut primo quorumdam locorum praecipuorum brevem demus topographiam medicam, et altero loco acturi simus de morbis, quos per totam insulam magis minusve communes esse deprehendimus, praemissis quibusdam, de iis, quae sua vi praecipue nocent.

Ordiemur a Septentrione.

Palermo [Panormus]. Sita urbs est in valle prope mare, loco perquam calido, quia montes vicini radios solis repercutiunt neque vallem libere adire possunt venti marini. Totius Siciliae nullo in loco *Scirocco* tam intolerabilis est (1), quod inprimis a situ pendet, pa-

---

pag. 112 sq., (qui usum nivis et aquae glacialis laudibus extulit. Testatur, v. c. si aestate epistolam conscribere vellet, multis semper ei opus fuisse poculis, quam ob rem magnam copiam sub mensa habebat.) et: *Utilidades del Agua y de la Nieve, del bever frio y caliente por el Dottor* FERNANDO CARDOSO. *Madrid, 1673.* (Reperitur hic liber in bibliotheca publica Academiae Lugduno-Batavae).

(1) BRYDONE, III. 29. brief, p. 95, sqq. HENNEN, l. l. p. 243.

tet nempe potissimum huic vento. Generatim autem salubris est, ea urbis parte excepta, quam vocant *il Stradone*, ubi quotannis febres grassantur. Inter urbem et *Monte Reale* juxta littus, *Malaria* sub forma nebulae densae mensibus Junio — Augusto regionem tegit. Tribuunt illud miasma, exhalationibus fluvii seu rivi a *Monte Reale* orti, prope *Palermo* mare petentis.

A *Baggeria* usque ad *Milazzo* littus est salubre, at hîc et illic in locis humidioribus idem est miasma.

Ipsa urbs *Milazzo* sita in promontorio, ventis valde exposita, aëre gaudet puro ac salubri. A°. 1814, milites Angli habitabant in contuberniis juxta mare constructis, vel in castello. Notabilis semper differentia inter has stationes observabatur, major nempe aegrorum numerus erat inter milites in praesidio hujus castelli collocatos, quam inter illos qui in contuberniis erant. Aër enim frigidus ac humidus in cubiculis fornicatis castelli in rupe satis alta, quem adscensu defatigati non impune ferebant. Eadem est causa quare *Castel Reale*, *Rometta*, quamvis in edito loco sitae et ceteroquin salubres, militibus minus jucundae sint. *Barcelona* et *Santa Lucia* salubritate prae aliis excellunt. *Venitico* et praesertim *Gesso* ex omnibus sunt insaluberrimae; itaque numerus aegrorum et vita defunctorum ibi semper erat maximus.

Messina [Messana]. In parte aquilonea, ad maris littus est sita, quapropter venti et celer aquarum per fretum cursus efficiunt ut aestate multo minus calore vexetur quam alia Siciliae loca. Idem fretum vaporibus surgentibus frequentium pluviarum est causa, quae hac in urbe cadunt; saepius coelum nubibus est tectum dum, si quis se contulerit ad locum unius milliarii intervallo distantem meridiem versus, serenum est et sol

gratus radiis beneficis calorem et lucem emittit. Humiditas hisce vaporibus ita augetur, praesertim flante *Scirocco*, ut omnia, ex metallis confecta, aerugine tegantur.

Gazzi, *Contessa*, *Bistuna*, *Tremisteri* laudem salubritatis merentur; omnium vero locorum Anglico praesidio munitorum *Mile* erat et amoenissimus et saluberrimus.

Totum littus orientale vento *Scirocco* expositum est, cujus effectus nocentes jam supra exposuimus. Castellum *Sant-Alessio* et, quae altius sita, urbs *Sforsa*, praeterea *Malaria* vexantur, ita ut, quavis praesidii mutatione, militum numerus valde imminutus reperiatur.

Giarri, *Aci Reale* et *Catania* multas subitaneas patiuntur aëris coelique mutationes; unde facile, quae alias non crebro occurrunt, explicanda videntur symptomata catarrhalia.

Augusta. Urbs viis largis, longis, rectangulis, ventis liberum transitum permittit, unde aëris temperatura minus est calida, quam e situ meridionali judicares.

In urbe *Siragossa* [Syracusae] contra aestus est intolerabilis ferme propter aedes admodum altas, viasque angustas ac contortas. E paludibus circumdantibus, quarum pars est *Pisima*, olim Canopus, excavationes et cavernae egregiam miasmatibus evolvendis opportunitatem praebent. Ibi numerus morte defunctorum semper est magnus, potissimum febribus aestivalibus grassantibus.

Littus meridionale multis in locis *Malaria* occupat. Quatuor cohortes, qui *Girgenti* [Agrigentum] petebant, in loco miasmatico noctem degerant, at altero die post

adventum, triginta novem febre correpti in nosocomiis decumbebant.

Littus occidentale saluberrimum est, minus enim vexatur *Scirocco*, qui magnam insulae partem transire debet, antequam huc perveniat; jugis montium praeterea avertitur. *Santa Margarita*, *Corleone* loci sunt perquam salubres.

Magna dein est differentia inter aërem atmosphaericum in urbibus et rure. Hic est purus ac siccus, per majorem anni partem, et quamquam mensis Septembris, aquarum immenso profluvio, agricolas innumeris afficit incommodis, quamquam aestate, ubi stagnant aquae, *Malaria* grassatur, pluribus tamen rebus rura urbibus praecellunt. Quae memoravimus mala partim evitari possent, si loca, ubi miasma istud pernisiosos effectus edit, numquam aestate inhabitarent. In urbibus contra ingratis semper exhalationibus aër corrumpitur, et summa incolarum immunditia magis iis nocet quam ipse aër atque ejus intemperies et coeli ardor. Vespere et noctu stercora in plateas conjiciunt, quae interdiu in domibus circumferuntur, quia in paucissimis priva huic usui destinata inveniuntur loca. Aestu porro citissime corrumpuntur pisces, caro et vegetabilia, quae nundinarum tempore in foro diu exposita, dein venduntur. Ipsorum hominum os et cutis olet, cum plerique nullam habeant corporis curam et manus, faciem, ne dicam totum corpus, non nisi raro admodum abluant.

Vestimenta, ut plurimum, sunt sordida; lintea indusia non justo tempore mutantur, multique illis omnino non utuntur. Peregrinis igitur etiam melius nati Siculi, propter ingratum quem spargunt odorem, vix sunt tolerabiles, dum plebis revera horribilis est immunditia.

Quam ingens in cubilibus et lectis est cimicum copia, tanta aliorum in ipso hominum corpore insidentium multitudo reperitur. Hominum turba conferta in templis, aërem celerrime miasmatibus corrumpit, quamvis ceteroquin purus et, in magno calore, gratus sit, quamdiu pauci tantum, ut sacris intersint, congregantur. Sed omittamus haec squalidiora, et potius dicamus de praecipuis viribus nocentibus, antequam ad ipsam morborum descriptionem transeamus.

Possunt autem nocere calor, aër, lux, victus, miasmata. Inter stimulos externos in C. H. agentes nullus est tam efficax, ratione intensitatis cum in bonam, tum in malam partem, quam calor. Docent haec, quae regiones calidiores proferunt, et regni vegetabilis et animalis organicam evolutionem summopere adjuvari calore. Quanta in calidioribus regionibus est plantarum luxuries, quantus florum splendor, dum in frigidioribus omnia condensantur, omnia contrahuntur; quae sunt ejusdem generis, hîc ubi calor regnat, forma apparent largiore et altiore, inprimis etiam diversissima, sic et plantarum et animalium genera maxime naturalia pluribus et distinctioribus gaudent speciebus. Cumque major et celerior sit evolutio, ad maturitatem omnia citius perveniunt. Optimus caloris effectus est vis valetudinariorum conservatrix, debiles, viribus exhausti, bello vel venere fracti diutius servantur in calidis quam in frigidis regionibus; robusti contra et plethorici non facile hunc stimulum ferunt et cito morbo corripiuntur. Actio caloris proxime cum vini efficacitate in corpus humanum convenit, nam uti modico vini usu corporis et animi vires excitantur, at nimio (ebrietate) opprimuntur, sic etiam calor modicus inter salutifera nu-

meratur, quibus humana vita prolongari et recreari potest, dum aestus languorem parit, ac facultates cum mentis, tum corporis deprimit.

Aër atmosphaericus in multis regionibus calidis est perquam salutaris, cum vero in omnibus orbis terrarum partibus, paucis tantum locis exceptis, eadem sit principiorum constituentium proportio, jure quaeritur, quare valetudinariis aër in regionibus calidis adeo prosit, et cur hîc prae septentrionalibus regionibus faveat functionibus oeconomiae animalis. Distincta a calore ipso proprietas est, nam frigidissimis anni temporibus melius sentitur, quam aestivis. Huc usque pertinet inter aëris atmosphaerici qualitates, quae sensuum nostrorum aciem effugiunt.

Nec minoris momenti est lucis in corpus humanum efficacitas (1), quam in Sicilia sol, paucis tantum diebus exceptis, radiis suis beneficis praeter calorem illam ubivis spargit. Docet caecorum tristis facies, ut alia exempla e regno animali et inprimis e vegetabili petita praetermittam, quam ingrata sit nostrorum corporum constitutioni lucis absentia. Tuto igitur statuere possumus, continuam istam lucis intensionem, inter stimulos praecipuos esse, quibus vita in Sicilia, prae aliis Europae australis regionibus, consumitur.

Supra jam de victu egimus, illud tamen verbo adjiciamus. Incolarum coelique naturae optime respondet, et cum ea congruus est victus. Advenarum contra major numerus continuo in diaeta peccat; abutuntur nempe vino vilioris in feraci solo pretii, nec mirum,

(1) Cf. de hoc argumento E. C. BÜCHNER, Diss. Inaug. de efficitate lucis in corpus humanum. Lugd.-Batav., 1835.

quum plurimi (hoc certe tempore quo Angli Insulam occupabant) in patria sua numquam generosum hunc potum sibi comparare potuissent. Vinum praeterea dulce regionum calidiorum principiis saccharatis corpori nutriendo, admodum est accommodatum et ad optimi sanguinis generationem multum confert, qua facile plethora inducitur, ne dicam de immodici usus effectibus in omni regione noxiis. Praeterea gratus fructuum sucidorum, acidulorum sapor, praesertim sub fervido coelo, peregrinos tentat, qui facile hisce abutuntur multaque damna inde percipiunt. Frequens utriusque abusus morbos gignit. Prior plethoram, indeque majorem ad febrem ardentem et apoplexiam dispositionem elicit, alter diarrhoeas et dysenteriam creat. Hisce jungenda est incauta saepe vespertina et nocturna ambulatio, haud raro enim post diurnum aestum sequitur frigus nocturnum, quo functio cutis supprimitur, variaque symptomata catarrhalia provocantur.

Ultimum, de quo dicendum, inter majora aëris damna locum tenens est miasma paludosum, cujus intima natura tanto minus est cognita, quanto luculentius effectus perniciosi sensibus sese manifestant. Agit in oeconomiam animalem tamquam stimulus vi et intensitate peculiari narcoticis proxime accedens. Nisi vehementissime agunt, per se quidem morbos non provocare possunt, sed quovis demum modo obortos peculiariter modificant haec miasmata. Cum febribus inprimis intime se jungunt, quarum naturam atque indolem exasperant, nec tamen mutant. Peculiares, ab omnibus aliis discretas, suis privis characteribus insignitas, multi has febres dixere, sed immerito, cum minus symptomatibus diversis, quam iisdem malignioribus distin-

guantur. Miasma ita dictum *mal-aria* [malus aër] variis in locis Siciliae invenitur, quos partim jam indicavimus. Surgit e lacubus, uti prope *Lentini*, vel ex arvis inundatis, vel e stagnis salsis prope littora maris, quibus adnumeranda cava, cisternae, cavernae hujusque generis plura, quibus tota Sicilia est plena. In hisce locis clausis, ubi liber aëris transitus impeditur, multum gaz evolvitur ex aquis pluviis, aliisque ibi stagnantibus et putrescentibus, quod, opportunitate data, mox atmosphaeram corrumpit. Majores excavationes inter se forsan cum ipso monte Aetna cohaerent, exsurgunt saepe ex illis vapores sulphureae, interdum quoque flammae (1). Summi periculi sunt hae exhalationes, uti inter alia docent exempla, quae affert ZIERMANN (2). In castello *Sant Alessio* aedes erant amplae, bene constructae, quas militum praefecti occupabant. Insalubritate praeter alios locos eminere annuum docuit exemplum, nam aestate simulac febres grassabantur, omnes qui illas inhabitabant, febre corripiebantur praefecti, quique infimum tabernatum [*Rez de chaussée*] occupabat, vulgo occumbebat, qui in sequenti contignatione habitabat, in summo vitae periculo versatus vix evasit, in tertia denique qui degebat multo minori gradu afficiebatur. Post accuratam observationem apparuit magna

(1) ZIERMANN, l. l. p. 123. Hoc argumento res minime probatur, nam in Sicilia sulphur ita abundat ut major pars, qua utimur, ex hac regione afferatur et in universum vilis sit pretii. Sulphur quidem abundans notat regionem vulcanicam, et vapores e solo surgentes facile sulphureo odore graves esse possunt, sed minime inde sequitur, cavernas cum foco montis Aetna conjunctas esse.

(2) l. l. p. 89 et 85.

cisterna obsoleta, late sub aedibus patens; bene clausa et repleta hac perspicua morborum causa, insalubritatis fama periit.

Prope *Faro di Messina* aedes erant, in quibus milites semper febre corripiebantur, mox in apricum hujus causa venit: erat nempe in vicinia fossa aquarum stagnantium, quibus ad lintea vestimenta lavanda, vel etiam balnei loco utebantur. Milites parumper a loco isto remotos, neque amplius hac aqua usos, morbus prorsus reliquit. Idem obtinuit prope *Gisso*, ubi simile stagnum erat.

Ex his jam intelligitur inter morbos Siciliae endemios, primum locum febres tenere, hisce frequentiâ proxime accedunt morbi hepatis et systematis cholopoietici, exanthematici et syphilis. Vulgares denique sunt rheumatismus, apoplexia, ophthalmiae, dysenteria, diarrhoea, haemorrhagiae, herniae, convulsiones, ulcera maligna, gangraena. De hisce singulis ordine deinceps agemus.

Febres. Aestu et diacta prava, vel etiam sola priori causa peregrinis status phlogisticus inducitur, vertigine, defatigatione, membrorum pondere, sensuque oppressionis notatus. Sensim, postquam hic status aliquamdiu duraverit, febris accenditur, cujus symptomata pathognomonica sunt: cephalalgia vehemens, pulsans; vertigo; oculorum rubor, nitor, sensilitas exquisita; photophobia; sensus quasi ex orbita premerentur oculi; arteriarum pulsatio magis perspicua, pulsus celer, plenus, saepius depressus, interdum vix sensilis; facies rubra; lingua sicca; cutis arida, ardens; sitis urens; obstructio, vel alvus tarda; anxietas, inquies, insomnia, vel somnus phantasmatibus

et delirio interruptus; debilitas summa et animi dejectio; propensio ad animi deliquia. Epistaxis spontanea semper levamen summum afferens. Urina est parca, fusco-rubra; faeces cruentae. In summo aestu saepe haemorrhagiae vehementes, haemoptöe, haematemesis, haematuria; sanguis e vena missus est crassus, niger, mox coagulat. Initio aestatis haec symptomata solent esse leniora, ad finem vero vehementiora. Non est quod moneam, pro individuis et idiosyncrasia, haec magis minusve differre. Finem versus aestatis febris summum gradum attingit, unum alterumve organon prae ceteris afficitur; debilitas admodum augetur, levissima de causa animi deliquia oriuntur, facies saepe vere fit hippocratica. Haec symptomata perspicue indicant debilitatem apparentem, oppressionem virium vitalium ex stimulorum vehementia, veram hypersthe-niam. Accedunt pro variis individuis symptomata occasionalia diversa: nausea, in vomitum propensio, vomitus, dolores topici, inflammationes viscerum abdominalium, thoracicorum, exanthemata.

Mense Augusto, calore adaucto naturaque abunde fructus saccharatos praebente, systema cholopoieticum in consensum rapitur, tum enim observamus vomitum biliosum et alvum, hypochondria dextra tumentia perquam sensilia, color viridi-flavus tingit albugineam, cutem et omnes excretiones inprimis urinam et salivam. Cum calore igitur morbi vehementia, quin etiam, ut ita dicam, malignitas adaugetur; nam dum initio aestatis evacuationes naturales criticae vel artificiales subinde morbum curant, Augusto et Septembri paroxysmi subitanei horrida prorsus vehementia mortem inexspectatam subito saepe infernnt: plerumque autem

septimum versus diem succumbit aeger, dum delirium ferox, anxietas immanis et apoplexia tragoediam absolvunt. Post mortem in cadaverum sectione vasa cerebri apparent sanguine impleta, cerebrum ipsum cum membranis inflammatum, pulmones et viscera abdominalia, praesertim hepar, haud minori inflammatione correpta, saepe jam gangraenescentia. In vesicula fellea bilis atra, crassa, granulosa, quae effusa etiam in duodenum et ventriculum vel ipsum ductum choledochum obstructum.

Junioribus robustis morbus hic est crebrior et periculosior, quam senioribus debilibus; hi mortem saepe effugiunt, illi rarius. Nixus vehementiores, labor sub Africo, numerantur inter res perquam nocentes (1).

Causa proxima hujus febris est plethora, orgasmus, vis vitalis justo plus incitata. Ex morbi totius fideli observatione egregie hoc apparet: nam 1°. disponit ad morbum aetas juvenilis, constitutio robusta, vigor, temperamentum sanguineum, plethoricum. 2°. Eruptionem determinant aestus, victus lautus, animalis, potus vini et potionum inebriantium. 3°. Ipsa morbi symptomata talem naturam indicant. 4°. Neque minoris ponderis sunt molimina naturae, etiam ex hoc fonte orta, epistaxis, haemorrhagia.

Est igitur febris inflammatoria optime cum pyrexia BROWNII conveniens. Immerito alii typhum, febrem nervosam, synochum habuere. Contagium numquam in

(1) Quum milites A°. 1814 eodem die, quo febris flava in urbe *Gibraltar* apparuit, naves conscendere cogerentur, potissimum illos classiarios affecit febris, qui tormenta totumque apparatum ponderosum sub aestu ingenti transvexerant. ZIEMANN, l. l. p. 129.

illa observatur, simul multi quidem afficiuntur, sed hoc potius repetendum videtur ex viribus nocentibus, aestu, v. c. multos simul afficientibus. Sin hanc febrem comparamus cum peste et febre flava, in his videmus symptomatum majorem vim, affectiones strictiori sensu topicas, et contagium, nullam igitur differentiam pathognomonicam, at symptomaticam tantum. Febris flava, juxta ZIERMANNI opinionem, summus igitur hujus febris inflammatoriae, in Sicilia endemicae, gradus est, cum affectione topica systematis biliosi; pestis ejusdem febris aeque vehemens gradus cum peculiari affectione systematis glandulosi. Praeterea utrique evolvi possunt a contagio specifico, cujus origo huc usque explicari non potuit. Postea ex intima morbi natura semper de novo evolvitur, et corporis aegri excretionibus morbi propagandi efficacitatem praebet. Sunt contra multi (cujus scholae auctorum hisce temporibus numerus et auctoritas augetur), qui omne contagium et in peste et in febri flava negant. Cum alii, et inter illos ZIERMANN, statuant, contagium non per se morbi malignitatem et occumbentium numerum augere, sed tantum, quia plures eo afficiuntur morbo, qui contagiosae est naturae. At hujus loci non est, de contagii natura disserere; forsan alia dabitur nobis et erit opportuna magis occasio; forsitan totum illud argumentum omittendum putabimus, si hujus dissertatiunculae limites egredi visum fuerit. Quaedam ultimo loco de cura dicamus.

Sponte apparet ex morbi descriptione methodum debilitantem, unicam esse qua aeger servari possit. Sanguis inprimis emittendus est, ut plethora et orgasmus tollatur, larga praeterea apertura, ratione virium oppressarum, fluat sanguis; neque abstineamus metu

debilitatis aegrorum apparentis; pulsus oppressus est, nam sub venae sectione relevatur; rubor, nitor, oculorum disparet; anxietas aufertur; altius ac liberius aeger respirat; artus jam subfrigidi, calore iterum recreantur; magno aegri levamine per vomitum copiose ejicitur materia biliosa. Si prima non suffecerit venae sectio, mox ad alteram transeundum est, vulgo autem a viginti ad triginta unciarum. Non in rem est remissionem exspectare, sed audacter sub ipso paroxysmo vena est secanda; veteres quidem hujus non erant opinionis, nam cum sanguine animam effugere affirmabant; in illa febri talis cunctatio admodum est perniciosa, quoque citius sanguis emittatur, eo ocyus aeger levatur, et interdum larga venae sectio justo instituta tempore ilico febrem sustulit. In robustis plethoricis saepe optimum est prophylacticum. Prosunt praeterea hirudines inflammationibus imminentibus topicis. Post venae sectionem cathartica conducunt, ut intestina coacervatis faecibus, stimulis dein heterogeneis liberentur. Sanguis hisce etiam depuratur, et generatim humores turgore orbantur. Peculiari tantum casu emeticis utendum est, praestat autem evacuatio alvina, quae citius viscera abdominalia turgida, morbi praecipuam sedem, levant. Semper ad tardam et obstructam alvum attendendum, quae hujus febris symptoma constans est, dum alvus laxa primum morbi curationem felicem indicat, si symptomata vehementiora videbuntur, si bilis abundat, hepar et systema cholopoieticum inflammatur, abdomen turget et valde sensile est, mercurius optimum erit evacuans, calomel nempe ita in organismum animalem agit, ut statim eum debilitet, actione sua in systema glandularum et canalem cibarium. Adjuvat enim sali-

vationem et alvi excretionem, ac simul eundem finem attingit vim deprimendo vegetativam, effectus enim ejus salutares saepe obtinentur nulla evacuatione usum praecedente, neque ulla ex illo profluente. Hinc etiam experientia egregios calomelanos effectus docuit in regionibus calidioribus et tropicis, ubi saepissime illo abutuntur. Satis generalis, et ex humana indole facile explicanda haec consuetudo, si modo teneamus sub omni fere coelo remedii ita dicti familiaris et magistralis salutaris audientis abusum pede sequi usum utilem. Praeterea in morbis asthenicis saepe etiam calomel prodest, quia vim vegetativam aberrantem in rectam reducit viam.

Methodo supra descripta saepe vis morbi frangitur, et felici eventu febris avertitur. Aeger vulgo valde debilis manet et reconvalescentia satis est diuturna, attamen, debita cura adhibita, ad pristinam sanitatem reducere potest.

Fusius de morbi medela agere nolui, cum sufficiat primarium fontem indicasse, et in nostro hoc specimine minus agamus de morbis sensu therapeutico, quam quidem nosographico, et longius foret, cujuscunque morbi peculiaris curandi describere methodum.

Syphilis. Dirus iste morbus in regionibus calidioribus quidem symptomatibus insignitur mitioribus, quam in frigidis, sed nullomodo morbi vis ac periculum hisce imminuitur. Brevi post infectionem in frigidis symptomata ita exasperantur, ut morbum luculenter indicent; in calidis contra virus diu absconditum lente, sed eo tutius effectus perniciosos in organismum edituram vim alit, ac si dein erumpit morbus, eo magis jam inveteratus est, et curatu difficilior.

Curam prorsus ad finem perducere eadem symptomatum lenitudo vetat, quum saepe hisce silentibus morbus sanatus visus fuerit aliquando tamen iterum prorupturus. Itaque jam statim ut in Europam introducebatur, tam intime in organismo ibi radices egit, ut vix quempiam invenires prorsus ab hoc malo liberum, nam vel illud patitur hereditarium vel suapse infectione. Aëris temperies ad venerem praecocem et immodicam incitans malum auget lateque propagat. Vulgaris inde est plurimorum morborum implicatio minime optanda, quaeque saepius locum habet cum rheumatismo, prae ceteris maligna ac periculosa est. Vita vegetativa in coelo calidiore inprimis viget et in multis morbis hujus prae aliis observantur vitia, in nullo vero tam vulgaria, quam in syphilide. In morbo plus minusve inveterato semper fere observantur vitia nisus formativi: verrucae, condylomata, induratio glandularum symptomata sunt vulgaria, quae in frigidis rarius, tantumque morbi stadio provectiore, in calidis vero, et inprimis in Sicilia, statim ab initio observantur. Admodum pertinacia haec sunt si proferuntur, quae optime vocant Germani *Afterorganisationen*; diutissime omnibus resistunt causticis. Induratio glandularum lymphaticarum saepissime, nisi cito resolvatur, in bubonem transit. Bubo in Sicilia syphilidis symptoma frequentissimum est, ac per annos multos saepe pertinacissimum. Ulcera syphilitica diutius habitum suum servant lardaceum ac tristem. Haec pariter atque bubones plus habent periculi, quia celerius in calidis regionibus transeunt in gangraenam. Hinc saepe lethalis est syphilis ob memoratas causas, dum in temperatis et frigidioribus hisce temporibus rarius mors il-

lam sequatur. Aestate praesertim propensio ista in gangraenam observatur, quia tum organismus stimulorum sua vehementia facillime in statum hypersthenicum convertitur, uti, cum nominatim ac fusius egimus de febribus endemicis, jam antea vidimus. Hoc anni tempore ulcera et vulnera vel minima citissime gangraenescunt, ita ut nosocomia diro isto malo affectis scateant (1). Potissimum annis 1812-1813 hoc observatum est, quum pestis vastabat insulam *Malta*; saepissime tum venae sectionis vulnuscula gangraenâ corripiebantur, dein prorsus ab illa erat abstinendum. Docet praeterea haec observatio aëris atmosphaerici exsistere mutationes sensus nostros effugientes, summae tamen in organismum humanum efficacitatis. Eadem ista propensio in vitia organica excrescentias fungosas provocabat in vulneribus et ulceribus post supplicium militum anglicum *to flog* dictum, quae saepe ad palmae magnitudinem auctae.

Post febres et ab illis pendentes morbos viscerum abdominalium et syphilidem, quos utrosque morbos fre-

(1) Memoratu dignum exemplum refert ZIERMANN; omnes ferme homines prope *Faro de Messina* piscatu corallorum occupati ulcera patiebantur cito in gangraenam transeuntia; diu causa latuit donec inventum est, rugas illorum scrotales particulis salinis repleri, quum ad media femora in aquis starent, illud enim agebant, ut totam rupem corallinum pulvere pyrio substrato disrumperent. Hisce particulis ingens apud illos provocabatur pruritus vespere inprimis; absoluto opere domum redeuntibus vulnuscula orta e frictionibus et fricatu ad sensum istum ingratissimum levandum institutis, quae celerrime in ulcera gangraenescentia transibant; jussae post opus absolutum lotiones aqua dulci, et frequentes operariorum mutationes, quibus prophylacticis malum superatum. Cf. ZIERMANN, l. l. p. 201, sq.

quentiores vidimus, prae ceteris, crebritudine eminet rheumatismus. In regionibus calidioribus, ubi coelum est varium, magnaque differentia in aëris atmosphaerici temperatura, non solum pro anni vario tempore, sed etiam pro diei hora matutina sive vespertina seu meridiana, transpiratio cutis, quae modo libera erat et copiosa, mox subitaneo frigore supprimitur saepe. Inprimis hoc in Sicilia locum habet, quia mos est, levioribus aestate uti stragulis, cum noctes tamen hoc anni tempore saepe perquam sint frigidae. Rheumatismus autem facillime ex hac transpiratione suppressa nascitur. Narrat ZIERMANN (1) A°. 1809 rheumatismum admodum communem fuisse inter milites, qui in cubilibus ligneis, nullo stramine supposito dormiebant, unico tantum stragulo laneo tecti. Cum sacci iis dati essent straminis pleni, quibus incumberent, morbus sensim obsolevit. Bacchus et Venus praeter refrigerium vespertinum et nocturnum inprimis suis viribus nocent. Artus prae aliis corporis partibus occupat et ischias nervosa Cotunni species maxime vulgaris est; paroxysmi saepe ita sunt vehementes ut initio febris accendatur propria, ejusdem characteris inflammatoriae atque endemica, de qua supra egimus; levior autem gradus periculum amovet et vulgo, cessante stimulo nerveo, ipsa febris evanescit. Si dolores post febrem remanent, morbus fit tenax. Complicatur saepe cum syphilide, unde mercurius in medendo morbo optimos habuit effectus; sunt quibus dolores cessant simulac salivatio orta est, redeunt vero hac impedita. Organa digestionis inprimis hoc malo afficiuntur, jam in Sicilia propter multos

(1) l. l. 168.

in diaeta errores debilia. Vernali tempore morbus potissimum est communis.

Dysenteria et diarrhoea. Ex duplici causa hae in coelo calidiore sunt tam frequentes. Primo enim loco systema cholopoieticum valde viget, et abunde secernitur bilis. Levi de causa haec secretio nimia fieri potest, bilisque ipsius crasis mutari solet. Stimulus nunc erit canali cibario ferme praeternaturalis, vascula humorem lubricantem secernentia irritata majorem, quam par est, humoris copiam secernunt, faeces liquescunt, cumque ipsa materia biliosa continuo expelluntur. Altera causa erit perspiratio cutis suppressa; constantem observamus antagonismum inter perspirationem cutis externae et mucosae internae, seu inter sudores et secretionem succi enterici. Aestate illa maxime viget, haec parca, hieme autem non item. Proprie alvus igitur laxior esset hieme, strictior aetate, nisi vario victus genere hisce mederemur; in illa enim animalis victus potior est, quo materies firmiores fiant, nam principium fibrinum in carne abundat; dum aestate potius prosunt olera et fructus, quibus attenuentur faeces. Altera silente, viget altera functio. Sin igitur subite frigore, in Sicilia frequenti, cutis functio turbatur, membrana mucosa interna hujus partes agit, quae alias per cutem eliminarentur nunc succo enterico copiosiore secernuntur, et excretionem alvinam stimulo suo augent; saepissime autem utraque causa conjungitur et diarrhoea in Sicilia tam frequens luculentius inde explicatur. Sensim mucus intestinalis continuis excretionibus abraditur, materies biliosa acris ultima vasculorum ostia laedit, sanguis effunditur, faecesque cruentae mittuntur. Dysenteriam potius esse

morbum regionum calidiorum intelligitur, plethora abdominalis in hisce regionibus et aëris temperie vulgaris est. Ex eodem fonte fluxus menstruus praematurus et abundans, haemorrhoides ibi communes aliaque repetenda videntur. Ex eadem causa in regionibus frigidis dysenteria potissimum ad finem aestatis locum habet. Cum igitur appareat stimulum bilioso-saburralem et succum entericum diarrhoeae praecipuam esse causam, horum stimulorum amotio optima erit medela. Eximie igitur proderunt purgantia, sal anglicum, oleum ricini; interdum vel drastica, jalappa aliave, etiam panaceum illud regionum calidiorum calomel commendatur; suppressam restituere cutis perspirationem, altera est indicatio; prosunt igitur diaphoretica et quies in cubilibus. Praeterea valde salutaris est talis evacuatio cum sit molimen naturae, ut quae morbum excitent amoveantur, rarissime igitur diarrhoea in calidioribus regionibus opiatis, adstringentibus aliisque compescenda est.

Interdum in diarrhoea aeger revera alvo stricta laborat, quam quidem adapparentem, ut ita dicam, contradictionem in terminis fusius explicabimus. Si jam, modo supra descripto, oborta sit diarrhoea, mucus tenax, viscidus majori copia secerni potest, nucleus hic erit in anfractibus intestinorum quo retinentur faeces, quamvis alvus sit tardissima, faeces erunt liquidae atque tenues, quia infra hoc impedimentum solito modo succi enterici et muci secretio obtinet. Post usum purgantium evacuantur faeces tenaces, scybalae. Peculiarem praeterea alvum observavit Doct. ZIERMANN potissimum in rheumatismo chronico et syphilide, quae saepe aegro inscio elabitur. Simulat gelatinam tenacem, albam ac pel-

lucidam; frustula satis magna, placentiformia, vel etiam minora, irregularia, *Talco* satis similia.

Morbi systematis hepatici et biliosi inter frequentiores sunt regionum calidarum. Externa jam incolarum facies illos huic morborum generi obnoxios esse indicat: color v. c. fusco-brunneus, capilli nigri, oculi brunnei, fibra sicca, tensa. Si huic praedispositioni, ex coeli atque aëris temperie natae, accedunt vires nocentes, prae ceteris organis hepar fit morbi sedes. Hujus morbo affecti symptomata sunt: tumor, durities in hypochondrio dextro; dolor pungens, continuus, qui sub respiratione, tussi, nixu et decubitu in latere sinistro augetur, et usque in humerum dextrum sese extendit; hujus humeri ipsius dolor; appetitus vel magnus vel nullus; digestio generatim laesa; sapor amaricans in ore; color cutis flavescens; si affectio vere acuta, hepatitis genuina v. c. febris concomitatur inflammatoria cum endemica conveniens, quae in universum, uti jam vidimus, lubens cum affectionibus systematis cholopoietici jungitur. Eodem anni tempore uterque morbus communis est, nec mirum quum aestus ambobus momentum sit opportunum. Sin contra symptomata fuerint magis chronica, febris hectica denique tragoediam claudit. Et in hisce morbis, praesertim forma acutiore, mercurius admodum conducit. Usus hujus remedii ingentem revera testatur horum morborum frequentiam. Eo optime propinatur modo quo evacuationes alvinas promovet, salivatio contra quamtumpote impediatur. Quamvis non semper symptomata tantae sunt vehementiae, quantae observantur in Indiis orientalibus aliisque regionibus tropicis, tamen haud raro his proxime accedunt. Inter hujus systematis morbos icterus crebrius observatur, quam hepatitis genuina.

Exanthema commune est illud quod de *Gibraltar* et *Minorca* agentes jam descripsimus. Totius nempe corporis praesertim extremitatum cutis tegitur papulis minutis, morsu pulicum valde similibus, pruritu ingrato ac molesto; ceterum minime periculosus est morbus dummodo caveatur ne subito repellatur et febris vel diarrhoea oriatur.

Coelum fervidum valde agit in systema nervosum, hinc aestate convulsiones frequentiores esse solent. Inprimis illas patiuntur advenae post stimulum quemdam insolitum, rixas, usum vini cet. Cedunt optime venae sectioni et evacuantibus.

Apoplexiae eodem anni tempore vulgares saepe insolationis sequela habentur.

Herniae in Sicilia haud raro quoque occurrunt; causa est abdominis tegmen cutaneum in calidis laxius, et viscera abdominalia saepe tumentia. Refert auctor frequentiores illas fuisse inter milites Germanos, quam inter Anglos, quod tribuit vestimentis inprimis braccis angustioribus et labori duriori quem peragebant Germani.

Ultimo demum loco agendum videtur de ophthalmiis in Sicilia obviis. Frequentia et periculo eminet bellica ista seu Aegyptiaca quam *κατ' ἐξοχήν* Angli *Ophthalmy* dicunt. Vis nocens, quae latius quam vulgo credunt patet, sunt aculei tenuissimi in foliis (1) *Cacti Opuntiae* coacervati. Arva quasi claustris spontaneis circumdant et inculta loca tegunt hae plantae, a quibus

(1) Usus sum vulgari loquendi modo, constat vero jamdudum aculeos foliorum esse rudimenta et quae vulgo folia nuncupantur caules sunt forma, colore et structura cum veris foliis convenientes, ut illorum functionem suscipere possent.

vento paululum vehementiori aculei facillime avelluntur, et propter summam ponderis levitatem longe lateque deferuntur ad loca magno intervallo remota. In cutem facillime hi penetrant; dolorem peculiari modo molestum pariunt et oculum ingressi vehementem inflammationem excitant. Ophthalmia Aegyptiaca A°. 1814, quo Siciliam occupabant Angli, prae aliis frequenter occurrebat. Fusius de hoc morbo agere non hujus est loci.

Absoluta descriptione medica hujus insulae pauca haec tanquam corollaria adjiciamus.

1. Pars septentrionalis et occidentalis salubrior est quam orientalis et australis, quia ventus perniciosus *Scirocco* jugis montium avertitur.

2. *Malaria* potissimum interiorem partem et littus occupat, ubi torrentes magnas faciunt inundationes et aquae reperiuntur stagnantes.

3. *Malaria* in Sicilia tantum peculiaribus quibusdam locis propria potissimum ubi cisternae, cavernae cet. inveniuntur.

4. Morbi praesertim determinantur aestu et subitaneo refrigerio.

5. Systema biliosum inprimis ab aestu afficitur, a quo etiam febris aestivalis pendet.

6. Refrigerium potius in causa est rheumatismi, diarrhoeae, et dysenteriae.

7. Syphilis hisce locis est morbus communis.

a. Quia in coelo benigno symptomata mitiora morbum diutius abscondunt, eoque magis periculosum et tenacem reddunt.

b. Pravâ medelâ per saecula intime organismo humano inhaeret.

c. Propter venerem praecocem et immodicam.

d. Incuriam et immunditiam incolarum.

8. Complicatio syphilitica crebro occurrit, qua saepius curatu difficiliores evadunt morbi.

9. Praesertim cum rheumatismo haec est vulgaris.

10. Vita vegetativa in calidis melius viget ac facilius etiam morbis afficitur, unde vitia organica, quae dicuntur *Afterorganisationen*, repetenda.

11. Stimuli vehementiores et continui facillime inducunt hyperstheniam, a qua dependet:

a. febris inflammatoria,

b. morborum inflammatoriorum frequentia,

c. facilis vulnerum et ulcerum in gangraenam transitus,

d. difficilis generatim ulcerum praesertim crurum curatio.

12. In morbis curandis inprimis igitur utilis methodus antiphlogistica, evacuans.

13. Praeter venae sectionem et purgantia optime mercurius huic fini potest inservire; jure hoc remedium in calidis tantopere laudibus extollitur.

a. Deprimit enim vitam vegetativam, et in normam regularem illam reducit.

b. Plethoram aufert directe, vi sua in secretionibus et excretionibus augendis; indirecte, vi propria debilitante.

Regulae denique prophylacticae, quae sequuntur, plurimum ad tuendam sanitatem conferre possunt.

1. Aestate abstinendum a diaeta lauta, usu potionum inebriantium, abusu vini.

2. Quantum fieri potest, evitanda magis etiam est radiis solis in aprico expositio.

3. Quotidie meridiem versus quiescendum, *Siesta* ista in calidis perquam est necessaria.

4. Caveatur a refrigerio, quo supprimeretur perspiratio cutis.

5. Alvus laxa sit et cito adhibeatur methodus evacuans.

6. Venae sectio numquam praetermittatur, simul atque oculi rubescunt, oppressio et vertigines sentiuntur.

7. Numquam ferme diarrhoea comprimenda est.

8. Neque haemorrhagiae spontaneae et haemorrhoides.

9. Balneum marinum et natatio commendari merentur. Illud enim cutis functionem, in regionibus calidis apprime neccssariam, firmat; post aestum gratissimum corpori sensum praebet; fibraeque tonum auget. Tempus erit maxime idoneum post meridiationem ante solis occasum, serius enim temperatura nimis est frigida. Sunt qui balneo utantur aëreo seu ventoso, i. e. qui ventis expositi, omnibus relictis vestimentis, in littus arenosum obambulent. Iis commendanda est haec species, qui balneum marinum vix ferant.

10. Summopere autem vitandum est illud in stagnis, paludibus cet., quoniam facile ex illis evolvitur miasma paludosum, uti exemplis allatis probavimus.

5. MELITE. *MALTA.*

AUCTORES.

J. HENNEN, l. l. p. 423-666, in quo opere, p. 547-551 invenitur Catalogus criticus omnium auctorum qui de insula *Malta* egerunt; inter illos distingui merentur:

Insulae Maltae descriptio auctore QUINTINO, Lugd.-Bat., 1536, 4°. (Primam insulae esse descriptionem peculiarem, sola operis laus est. HENNEN.)

ABELA, Malta illustrata. 1647.

Malte, par un voyageur François. 1791.

BOISGELIN, Ancient and Modern Malta, 2 vol., 4°., 1805. (Aliorum operum messis uberrima saepius sine fontium indicatione. HENNEN.)

LARREY, l. l. I. p. 187 sqq. Nisi ultimum excipias nullum horum librorum vidi.

ROBERT, Mémoire sur la topographie physique et médicale de Malte, suivi de l'histoire des maladies qui ont regné dans cette île parmi les troupes françaises, sur la fin de l'an 6 et pendant 7 et 8. (Mémoires sur l'Egypte. L. IV. p. XXXVIII.) Neque haec mihi innotuit.

BRYDONE, l. l.

Insula parva, sita inter Africam et Siciliam seu gradum 35°46′ et 36°6′ Lat. bor. et 31°41′ — 32°13′ Long. or. Distat a promontorio *Passaro* quinquaginta sex milliaria et a *Cabo Bon*, proximo Africae promon-

torio ducenta milliaria. Egregie finget piscem cujus os erit *Marsa Sirocco;* venter littus occidentale; dorsum orientale et pinna caudalis pars extrema borealis, post profundam incisionem prope *Melala.* Circuitus est 60—70 mill. angl. a septentrione ad meridiem major distantia 10—12 mill.; maxima longitudo ab oriente ad occidentem 18—20 mill. Probabiliter et Siciliae et Africae juncta fuit, quod inprimis indicat stratorum directio, tam in litore quod Siciliam, quam quod Africam spectat, paralela, quae congruit cum paralela directione litoris oppositi et Siciliae et Africae. Culmen insulae summum 1200 pedes tantum maris superficiem excedit, unde non in conspectum venit nisi ad intervallum 20—30 mill. Varia admodum est terrae superficies, vallibus et collinis quasi mire intertexta. Solum saxosum pauca terra vegetabili est obductum, quae summa cura colitur. Insula fertilissima habetur, quamvis solum ipsum sit sterile, saepe humum et terram afferunt e regionibus vicinis, praesertim Sicilia, non quidem tanquam onus, ut multi voluere, sed tanquam saburram.

Valles generatim in directione Africi ad Aquilonem decurrunt, sunt longiores et profundiores quo magis ad partem occidentalem insulae accedunt. Desunt in insula rivi, lacus, paludes et stagna [*bogs*]. In montibus vel potius collibus *Ben Jemma*, qui totam insulam transeunt, sunt fontes plurimi aquae saluberrimae. Hieme ab omnibus torrentes magno impetu decurrunt, qui etiam *Fiumari* vocantur. Ad fundum sinuum idiomate Arabico corrupto *Marsa* dictorum est alluvies, unde aestate exhalationes miasmaticae exsurgunt; mox autem plura de hisce dicendi nobis dabitur occasio.

Aquae medicatae, in insula hodie non inveniuntur vel

saltem usu non veniunt. Olim fons *Bir Zegrella* habebatur febrifugus, nunc in magnum aquaeductum fluit, et mixtione vires, si umquam exstitere, amissae sunt. Loco *Rabbatto* dicto invenitur *Aayen Hammyn*, quod significat *fons thermarum*, cujus aquâ tepidâ et subsalsâ (*somewhat warm and brackish*) non nisi ad lavandum utuntur (1).

Aëris temperies. Insularum, inprimis majori a continente intervallo dissitarum, aëris temperies ventis determinatur. Sic Septentrio v. c. media aestate sub ipsissimis radiis ardentibus solis frigus ita penetrans provocare potest, ut vestimenta arcte claudenda sint, et chlamydes egregii usus videantur. Hinc maxima oritur differentia inter temperaturam veram, quae instrumentorum ope notatur, et sensibilem, quam nobis monstrat corpus ipsum. Saepe faciem antiboream propter frigoris vehementiam ferre non possumus, dum aversa aestum radiorum solarium vix patitur. Haec praemonenda existimavi, quia alias falsam sibi fingeret, hujus rei ignarus, temperaturae opinionem. Hinc etiam auctorum varia fuit sententia de aëre hujus insulae. Alii totius Europae calidissimum, alii tam siccum eum perhibuere, ut prorsus sine nebulis et vaporibus esset, dum illum alii magis variabilem, quam in ipsa Anglia putaverunt. De ventis igitur primo agamus.

Ventus Caurus aërem quam maxime purgat, quum vastum maris tractum transierit, antequam ad insulam pervenerit.

Aquilo non tam purus est eoque minus, quo magis

(1) Hennen, l. l. 476.

transit in Eurum et Austrum, dum iterum salubrior fit si mutatur in Africum.

Auster perquam insulabris est, quia deserta Africae ardentia transiens incalescit. Summo incolarum bono non diutius quam 3—4 dies perseverat, semperque fere succedit quies, in qua mercurius in thermometro saepe gradus aliquot altius adscendit, corporis autem sensu aestus multo minus suffocans percipitur.

Sin Austro succedat Septentrio, sensus exsistit gratissimus, ac levissimus, quia ut ita dicam, respiratio liberrima est; omnis anxietas, omnis ponderis et oppressionis sensus abit, facilior artuum et membrorum redditur usus, nulla fere defatigatio sentitur, post eosdem labores, quos per Australes ventos sequitur ingens lassitudo. Et vitae animalis et vegetativae melius peraguntur functiones, novum tonum corporis fibrae acquirunt. Nec tamen periculi vacuum est, saepe enim frigoris vehementis provocat sensum, quod aestus suffocantem intolerabilem excipiens, subitanea mutatione morbis viscerum thoracicorum et perspirationis cutis suppressae quasi ansam praebet.

Omnes venti inter Austrum et Eurum plus minus diri *Scirocco* naturam assumunt. Vulturnus per totam Europam australem timendus est, at *Malta* duplicata vehementia ferit, nec mirum cum ei facillimus, nec ulla quidem re impeditus sit aditus. Verus ita dictus *Nero Scirocco* in insula *Malta* est Z. Z. O. vel Z. O. t. Z. (1). Effectus ejus hîc majores sunt, quam in alia Europae parte, quia eo propinquior est mundi partibus unde

(1) Jam in iis quae praefatus sum vidimus has ventorum directionis determinationes apud recentiores, non convenire cum illis quibus usi sunt veteres.

vim suam nocentem ventus iste affert. Latus aedium et operum bellicorum huic vento oppositum multo citius corriditur et deletur. In salinis sal culinare, eo tempore, quo flat, multo pejus in crystallos redigitur, et si cavernae in rupibus ad condendum frumentum forte sub hoc vento aperiuntur, frumentum corrumpitur. Moenia, muri, plateae, parietes, et statuae humiditate teguntur tanquam homines sudoribus madidi. Gluten, *Scirocco* flante, non amplius adhaeret atque conglutinat, hinc nullus faber lignarius eo tempore illo utitur. Colores a pictore in tabula mixti numquam siccantur. Emplastrum adhaesivum non agglutinat et quod hoc vento regnante paratur nullius est pretii; cibus non saliri debet, mox enim in fermentationem abit, inde pistores tum multo minore fermenti copia utuntur, pasta jam sine illo fermentari incipit. Foetent multo magis faeces, atque odorem prorsus intolerabilem spargunt. Ut supra jam vidimus calidus et humidus simul est hic ventus, propter vapores aqueos e mari in transitu allicitos. Aestus tam ingens est ut plantarum viriditas omnis dispareat, et folia comburantur. Melius corporis sensibus effectus ejus percipiuntur, quam instrumentorum ope determinari possunt. Hennen statuit nec thermometrum, nec barometrum peculiari modo a vento isto affici, brydone contra in urbe *Palermo* mercurium a gradu 72° ad 112° citissime adscendere vidit. Crederem, hanc observationem si vera ac fidelis haberi debet, a causa quadam in locis posita et fortuita, positione australi, aprica, repercussione radiorum solis aliave pendere, nec generalem normam esse posse. Sententiam vero Docti. hennen nimis absoluta et probabiliter a paucis tantum observationibus

diducta esse videtur. Major vero differentia quam 4°—6° gradus vix umquam post *Scirocco* observatur, neque ulla ratio intercedit inter sensum ingratum, quo corpus afficitur, et instrumentorum signa. Effectus in corpus animale jam variis locis descripsimus, verbo adjiciamus in *Malta* prae ceteris regionibus conspicuos fieri. Aegri et convalescentes praesertim ejus vi opprimuntur. Vulnera et ulcera admodum ingravescunt. Vaccinatio sub hoc vento instituta saepius omni bono successu caret, vel pustularum eruptio non apparet ante decimum vel duodecimum diem. Hypochondriacis, et qui morbis laborant hepatis inprimis intolerabilis est. Multi *Scirocco* appropinquantem praesagiunt e sensu ingratissimo, quem horis aliquot ante ortum hujus venti jam patiuntur. Nullus praeterea est, qui statim non affirmare posset, illum flare. Miserrimum foret incolis, si diu regnare perseveraret. At duo, tresve, ad summus quatuor dies in Sicilia et *Malta* perdurat. Neapoli autem BRYDONE eum per septem flantem observavit. Pulvisculos subtilissimos immensa quantitate secum ducit, quod luculentissime patet, si pluvia ventum excipit, tum enim ex atmosphaera tanta copia praecipitatur, ut facillime colligi queat. Doct. BENZA arenam dicit rubram, quam frustra in Sicilia vel *Malta* quaereres, sed optime convenit cum arena ex desertis Africae et Arabiae. Interdum omnes characteres prae se fert venti venenati *Samiel* vel *Simoum*, tumque, si diutius duraret, omnem exstingueret vitam. Est autem tantummodo flatus parvi temporis per aliquot secundas rariusque ultra dimidiam minutam perseverans (1). Variis

(1) HENNEN, l. l. p. 447.

constat experimentis, electricitatem summi esse momenti in phaenomenis hujus venti explicandis. Memorat BENZA leni frictione e pelle animalis vivi et vestimentis laneis scintillas elici, et coelo nubibus velato vividos ignes per Aethera coruscari. Ulterioribus autem observationibus haec res illustrari debet. Differunt effectus pro natura locorum, in humidis periculum majus est, praesertim si circumdant paludes, e quibus *Malaria* exsurgit, v. c. locis *Siragossa*, *Leontine* aliisque. Difficile admodum est ab effectu noxio vel saltem ingrato tutum se servare, pertinent inter meliora prophylactica cautio januas et fenestras arctissime occludendi, expansio pannorum et velamentorum humidorum eo latere, quod ferit ventus, frequens irrigatio cubiculi, denique balneum marinum, cujus effectus salutares inter alios expertus est ipse BRYDONE cum sociis (1).

Simulac venti paululum vehementius flant, aestate saltem tenuissimum pulverem ex arido solo secum ferunt, qui nullo tegmine excludi potest. Aedes domusque intrat, vestimenta penetrat (2), ita ut tota cutis strato illius ferme impalpabili tegatur. Flante vento humido vel pluvia tenui cadente pulvisculi agglomerati ex atmosphaera praecipitantur forma guttularum fuscarum limum imitantium. Facile exinde explicantur pluviae terreae quas inter portenta referebant veteres (3).

(1) BRYDONE, l. l. p. 8.

(2) Narrat HENNEN pulvisculos vel per capsulas transire quibus horologia saepe inclusa servantur, l. l. p. 446.

(3) De pluvia terrea Cf. T. LIVII, Hist. LXXXIV, Cap. 45, XXXV, Cap. 21, XXXVII, Cap. 3, et de aliis v. c. lactis, sanguinis, carnis, ferri, lanae, laterum coctorum, PLINII, Hist. Nat. II. Cap. 57. (edit. PANCOUCKE, Tom. II. pag. 126 sq.).

Ridicula prorsus est sententia Docti. MACLEAN talem pluviam pestis causam habentis.

Temperatura. Calor aestate saepe ad 88°—90° Fahr. imo ad 93° et interdum in quibusdam aedibus ad 97° adscendit, thermometro vero radiis solis exposito mercurius interdum 130° attigit. Neque umquam ultra 46° descendit. Ex fideli sexenni observatione in loco umbroso HENNEN 90° invenit maximum, 46° minimum, et medium circiter 63°. Ab omnibus fere Europae australis partibus eo nomine differt *Malta*, quod aestus nocturnus diurnum ferme aequat. Continua solis radiorum actione muri aedium ita incalescunt, ut noctibus brevibus non possint refrigerari. Anno 1822 per tres hebdomades ad finem Augusti et initio Septembris ne vel dimidium gradum noctu mercurium descendere vidit HENNEN in suo thermometro. Hinc multo intolerabilior fit aestus quia grata vesperae et primae noctis temperie carent, continua igitur caloris fit actio, perquam injucunda. Ad finem accedentes brevem anni constitutionis, qualis vulgo solet observari, nunc demus conspectum:

Januarius. Imbres tropica violentia a coelo decidunt. Interdum grando accedit, statim liquescens si solum attigerit.

Februarius. Ex parte imbres sine intermissione cadunt, ad finem vero mensis, sensim sensimque remittunt.

Martius. Incipit ver. Aliquot procellae ingruunt et pluviae irregulares.

Aprilis. Coelum constanter remanet serenum, temperatura amoena, calor benignus ac gratissimus. Anni tempus pulcherrimum est.

Majus. Calor augetur. Ut et mense priore aliquando pluit sequentibus tribus vero Junio, Julio, Augusto

frustra vel nubeculam in coelo quaereres. Aestus tum vehemens, ne noctu quidem tolerabilis est.

Ad finem Augusti et initium Septembris imbres aestivales cadunt, quo vero coeli aërisque beneficio purgatur et refrigeratur atmosphaera, at saepius per tres quatuor vel plures dies continui imbres se remittunt et in dies serenos mutantur.

October. Imbres sequitur tempus totius anni jucundissimum vel vere amoenius ac gratius. Aër tunc est purus ac levis; respiratio facilis; temperatura nec frigida, neque aestuosa; novo vestitu natura ornatur; alter quasi ver et aestas priores longe superantes. Hanc vocant aestatem minorem seu Sancti Martini, quae durat usque ad initium, vel ad dimidium mensis Novembris.

Ab initio Decembris vel a fine Novembris denuo imbres summa cum vehementia cadunt usque ad medium vel ultimum Februarium, paucis intermixtis diebus serenis, continui. Cadunt potissimum noctu soloque avido cito absorbentur, unde tempus imbrium seu autumnus et hiems saluberrimus habetur.

Ros abundat vere et autumno praesertim flante *Scirocco* aut alio hujus generis vento. Media vero aestate non observatur. Sine ullo sanitatis detrimento incolae tum dormiunt in tectis, in podiis seu porticibus et plateis.

Nulla est in toto terrarum orbe regio, quae pro rata parte et aequali spatio plures habeat incolas. Anno 1824 continebat 96404 in 6—7 milliaribus quadratis.

Incolae sunt robusti, capillis oculisque nigerrimis (1),

(1) In quibusdam locis sed praesertem in vico *Zurrico*, multi sunt oculis caeruleis. *Zurrico* repetendum videtur, uti mecum communicavit amicissimus CANNEMAN, a voce Arabica أزرق *Azrako*, Caeruleus [proprie: caeruleos habens oculos].

cute fusciori, viri staturae mediae vi musculorum excellunt. Feminae parvulae, sed pulcherrimae sunt membrorum harmonia. Deformes rarissime occurrunt. Facillime parturiunt feminae, tertio post partum die vulgo lectum relinquunt. Partus geminus est satis frequens, trigemini vero huc usque nullum observatum est exemplum. Jam anno undecimo vel decimo tertio menses apparent, saepius hujus aetatis puellae matrimonium ineunt. Mos pravus quo infantes recens nati arctissimis circumdantur stragulis et vinculis, ita ut potius mumiis similes sint, etiam ibi viget. Ceterum quod tamen eorum pueris vires corporis feliciter augentur, forte tribuendum est quod minus ingenii viribus exercendis defatigantur. Non equidem improbo diligentiam, qua hisce temporibus in multis Europae regionibus pueri atque adolescentes in scholas omnigenas pelluntur, attamen, ut opinor, vita sedentaria in atmosphaera corrupta cubiculi saepe angusti, juniori aetate plus sanitati nocet, quam pauca, quae in primariis hisce scholis discunt, utilitatem iis adferunt (1). Difficile admodum est, educationem physicam morali ita jungere, ut et corpus et mens simul, et ut ita dicam pari passu excolantur (2).

Color iste generalis vico igitur nomen dedit. Probabile fit primos incolas ex Europa septentrionali fuisse. Forsan fuit colonia Normannorum.

(1) Cf. de hoc argumento: Bemerkungen über den Einfluss der Schulen auf die Gesundheid von Dr. ROB. FRORIEP. Berlin, 1836, et: Zum Schutze der Gesundheit in den Schulen von Dr. C. J. LORINSER. Ibid. 1836.

(2) Notum est veteres artem gymnasticam magni fecisse in educanda juventute, recentiores illam nimis neglexerunt et perperam solis funambulis, quique hujus generis plures sunt, reliquerunt.

Inter corporis exercitia praesertim pulchra et salutari natandi arte excellunt, per totum mare mediterraneum propter hanc artem laude celebrantur, et totius Europae optimi habentur urinatores, qui facillime ad altitudinem 40—50 (1) pedum in mare descendunt, et nummum in undas projectum arripiunt sub aqua, antequam fundum attigerit.

Mores non multum differunt a Siculis; in urbibus regnat libido et prostitutio ingens, ruri contra sobrietas et diligentia eminent. Iracundi admodum cum sint, ulciscendi opportunitatem caute vel per complures annos exspectant, inventam numquam praetermittunt. Plebs originis est Arabicae, uti inprimis apparet ex idiomate quod a linguae Arabicae corruptione originem traxit, ita tamen ut Arabes et Maltenses se invicem satis intelligant. Björnstahl hac de re annotat (2) Arabes facillime a Maltensibus intelligi posse, sententiam autem quorumdam virorum doctorum (3), hoc idioma reliquias esse linguae Punicae, falsam esse; utuntur praeterea semper litteris Italicis, uti ipse björnstahl intellexit cum rogavisset mercatores quosdam, idioma hoc callentes, ut scriberent nonnullas voces.

Sunt qui contendant, jam ex facie originem Africanam patefieri; viros nempe hi describunt naso largo, planiore, labiis mentoque crassis, capillis niger-

(1) Brydone, l. l. I. p. 8.

(2) Reize door Europa, en het Oosten. Uit het Duitsch vertaald. Amsterdam en Utrecht, 1778, I. p. 225.

(3) V. c. j. h. majus, in Specimine de Lingua Punica in hodierna Melitensium superstite. j. f. aguis, della lingua punica presentamente usata da Maltesi. Roma, 1750, 8°. (Utrumque citat björnstahl; libros non vidi.)

rimis laneo-crispis. Hennen contra affirmat, se numquam Maltensem ex parentibus Europaeis natum tali faciei forma vidisse. Cum totius Africae borealis incolae pertineant ad varietatem Caucasicam non verisimile videtur, insulam *Malta* potius ex interioribus regionibus incolas accepisse quam e littorali tractu. Hujus igitur observationi magis fidendum esse apparet.

Victus et Diaeta. Domus et aedes in hac insula magis ad morem orientalem accedunt, coelo calidissimo egregie convenientes. Vulgo sunt lapideae, tectis planis, e lapidibus largis, tenuibus, copiose superstratae *Pozzolano.* Quaeque domus fere impluvium quoddam habet, in quo puteus amplus sive cisterna, quod impluvium pleraeque conclavium fenestrae spectant. Lecti semper sublime fixi sunt in editiore sede et fulcris, vel in ferreis contabulationibus. Vestitus rusticorum et plebis inferioris confectus est e gossypio, quod ipsa insula profert. Crura vulgo sunt nuda, caput cucullo tectum. Ditiorum vestes non differunt ab iis, quae in cetera Europa usu receptae sunt. Hieme vestitu calidiori potius frigus avertere conantur, quam igne; insaluberrimum ducunt cubicula calefacere, et juxta focum desidere. In culinis rarius igne utuntur, neque diutius quam ad cibos parandos opus est. Victus generatim admodum simplex est, incolae omnis conditionis sobrii sunt ac fruges. Rure potissimum cruda amant, olera, fructus, lactucaria, quibus jungunt panem fuscum, oleum, allium, cum piscibus quibusdam sale conditis [*Clupea encrasicholus et Scomber Sarda L.*]. Jentaculum numquam certo tempore constituto sumitur, frustulum panis, ficus aliquot, vasculum coffeae seu succolatae hujus loco in usu est. Meridie prandio

utuntur, hora 9 vespertina coenant. Constat utrumque pane, *macaroni*, oleribus cum piscibus, vel hieme carne suilla recenti vel salita, in minuscula frusta secta, interdum carne bubula recenti vescuntur vel alia quadam venatione capta. Caseus, Hollandicus inprimis, ab omnibus ferme comeditur. Poculum vini Siculi coenam claudit. Usus infusionis coffeae adustae et inprimis aquae gelidae ita vulgaris est, ut cujuscumque ordinis, aetatis, sexus, omni ferme hora communis sit. Nec rarius herba Nicotiana adhibetur. Quibusdam temporibus, diebus festivis, et publicis et privatis, convivia splendida atque epulae lautae a vulgari sobrietate recedunt. Potus vulgare est vinum, rarius merum. Aqua non adest ejusdem ubique praestantiae per totam insulam; vulgaris est pluvia, quae in omni domo in cisterna colligitur; interdum cloacis nimis propinquis odor ingratissimus aquis communicatur. In urbe *La Valette* optimam aquam fontanam habent, quae aquaeductus ope, 16885 *Yards* longi, a *Diar Chandal* adducitur; ex illa tamen sedimentum calcareum saepe praecipitatur.

Absoluta hac introductione ad morborum endemiorum descriptionem accedamus. Qui in Insula observantur morbi vulgares sunt: febres, ophthalmiae, affectiones viscerum abdominalium, diarrhoea, dysenteria, morbi pulmonum, vermes, convulsiones, morbi systematis hepatici et uropoietici, calculus v. c., herniae. Jam de singulis agamus.

Febres. E fideli multorum annorum observatione patuit, in Nosocomiis rationem inter febre correptos et ceteros aegros fuisse uti unus ad septem. Defunctorum vero alia est ratio, nam totius defunctorum numeri 13444 intra sex annos, febre occubuere 1446,

unus igitur ferme e novem. Quod ad typum attinet, sequens tabula optimum conspectum dabit. Intra octo annos in omnibus Nosocomiis insulae recepti adfuerunt 19549, quorum 3420 febre laborarunt [unus circiter ex $5\frac{2}{3}$]. Inter hos

Quotidiana intermittente	laborabant	. . . . .		208.
Tertiana	»	»	. . . . .	126.
Quartana	»	»	. . . . .	5.
Remittente		»	. . . . .	74.
Continua communi		»	. . . . .	2937.
Icterica		»	. . . . .	1.
Synocho		»	. . . . .	65.
Typho		»	. . . . .	4.
				3420.

Si ex hac confecerimus tabulam proportionalem inveniemus:

Intermittentes	ex omnibus facere			$\frac{1}{10}$	circiter.
Continuas communes	»	»	»	$\frac{25}{27}$	»
Remittentes	»	»	»	$\frac{1}{46}$	»
Ictericam	»	»	»	$\frac{1}{3420}$	
Synochum	»	»	»	$\frac{1}{53}$	circ.
Typhum	»	»	»	$\frac{1}{855}$	
Quotidianas	ex intermittentibus		»	$\frac{5}{8}$	circ.
»	» omnibus		»	$\frac{1}{16}$	»
Tertianas	» intermittentibus		»	$\frac{5}{13}$	»
»	» omnibus		»	$\frac{1}{27}$	»
Quartanas	» intermittentibus		»	$\frac{1}{67}$	»
»	» omnibus		»	$\frac{1}{684}$	

Praeter proprias observationes HENNEN quorumdam medicorum militarium collegit annotationes qui ipsi in insula praxin fecerant. Hac methodo optime imaginem

sibi fingere cogitatione potuit de natura morborum endemia, qua eo magis fidendum est quod omnes satis superque inter se conveniunt.

Febris aestivalis Maltensis dignoscitur congestione ad caput, pectus vel abdomen, nunc singulatim nunc simul. Variat quam maxime pro anni constitutione ac tempore et personis. Autumnum versus systema hepaticum plus afficitur quam caput; sin vero hoc morbo affectum symptomata vehementia, diversa tamen a dolore fixo supra orbitas ad phrenitidem usque. Sic etiam hepaticae affectiones a sapore amaro, nausea, sedibus biliosis ad colorem flavum cutis, vomitum nigrum, et alia satis cum febre endemia Indiarum occidentalium convenientia. Plerumque lingua est humida, alba, quasi crusta calcarea madida tecta, oculi suffusi rubore, in multis pulsus varius observatur, nunc plenus ac fortis, nunc mollis. Cutis flavedo est symptoma vulgare, non eadem frequentia tamen occurrit quovis anni tempore, neque omnes aegros, quod attinet ad externam speciem in eodem versantes statu, aequaliter afficit. Praesertim iste color occurrit apud milites advenas, uno etiam anno frequentior est, quam altero, v. c. post aestates calidiores.

Doct. SKEY (*Deputy Inspector of hospitals*) febrem optime cum synocho CULLENI convenire putat. Cephalalgia gravis adest, atque oculi rubore suffusi, dolores acutissimi in scrobiculo cordis, hypochondriis et thorace. Abdomen tensum, praesertim in parte superiore, vomitus biliosus, materies ejecta, haud secus ac faeces, coloris est fuscioris. Lingua obducta panno quasi albido, in medio fusco-luteo. A febre Indiarum occidentalium, quam etiam observavit Doct. SKEY, non primo obtutu differt, nisi sede cephalalgiae, fronte non limitatae,

sensuque caloris minus vehemente. Decursus vero illius celerior ac periculi plenior, et exitus saepius lethalis est.

Haec optime quadrant cum Doct^{i}. INGHAM observationibus, qui febrem etiam cum synocho CULLENI comparavit, et frigus saepe ad rigorem usque increscere dicit, praeterea quoque observasse affirmat, cephalalgiam intolerabilem, nauseam, interdum vomitum biliosum, cutem ardentem, linguam albidam et obtectam, pulsum plenum, dolorem in hypochondriis ad thoracem usque extensum, sub quavis respiratione auctum. Animi dotes tamen non ita affectae sunt, quam quis a tam vehementibus symptomatibus crederet. Comam semel tantum observavit, in casu nempe lethali.

Neque ab hoc differt descriptio Doct^{i}. KENNEDY, in qua praeterea adjectum invenies dolorem in suris, alvum interdum strictam, saepius laxam, aquosam, minus foeculentam, vomitum copiosum, sitim intolerabilem cutem ardentem ac siccam. Mensibus vero aestuosis observatur perspiratio copiosa sine ulla symptomatum remissione. Interdum morbus subito obrepit, interdum lassitudo praecessit per aliquot dies, debilitas, nausea et appetitus prostratus. Alias morbus initium duxit a cholerae specie, vomitu et sedibus biliosis. Lingua generatim est albida, humida, saepe etiam sicca crustâque nigrâ obducta. Pulsus variat a 90—120, nunc fortis, plenus, nunc parvus, contractus, oppressus, nunc celer ac plenus, facillime e sthenico hypersthenicus factus. In morbi decursu hepar plus minusve afficitur, dolente saepe hypochondrio dextro et epigastrio, sedibus aquosis virescentibus, mucosis, nigricantibus, numquam foeculentis. Respirationis organa rarius afficiun-

tur. Delirium rarissime observatur, nisi ad exitum casuum lethalium; saepe dolor sentitur in pube. In tribus casibus e 99 flavo colore corpus repertum est suffusum; horum unus tantum valetudinem recuperavit.

Ne autem praetermittamus LIGHTBODY, qui ex omnibus absolutissimam scripsit et misit hujusce rei commemorationem. Ex illius sententia morbus vulgo subito invadit. Primo caput dolet supra unum vel utrumque oculum, cum illorum suffusione; facies doloris et morbi impressionem facile monstrat; cutis ardet; lingua crustâ obducitur albâ, tenui, mucosa vel spissiore panno quasi albo, griseo, fusco (1), plerumque humida, siti tamen intolerabili. Pulsus est frequens, tensus, interdum languidus, plenus, lentus, vel etiam intermittens. Dolor in dorso et membris existit cum debilitate et lassitudine; interdum dolor iste dorsalis et apici-femoralis summus est, cephalalgia deficiente. Nausea et vomitus, obstructio, vel sedes copiosiores morbum praecedunt; sedum color est fuscior, interdum viridis, vel etiam flavus.

Autopsia haec docuit: viscera inflammata, vel in inflammationem tendentia, hepar potissimum morbi sedem saepe jam suppurans. Antagonismus quidam adest inter cutem et hoc viscus, ubi enim illa flavescit, hepar minus affectum observatur, quam cute sana. In priori casu hepar sanum solet esse sed albius et mollius vulgarique forma majus est. Vesicula fellis major est, bile fere repleta, ventriculus distentus, superficie inferiore prope pylorum materia tecta mucoso-purulenta,

(1) With a thin, white, slimy coat, or a thick white, grey, or brown fur.

cetera viscera generatim sana reperiuntur et statu normali; peritoneum flavescit; serosa exsudatio in abdomine, flava, crassa, saponacea, vel etiam serum flavum magna copia in ventriculis cerebri effusum; dura mater crusta tecta pingui lymphae flavae, pericardium unctum materia flava saponacca, cor flavum et flaccidum, pleura, peritoneum, pericardium, colon et aliae partes tractus intestinalis ostendebant signa inflammationis praecedentis, hepar, uti supra jam diximus, praeter majorem magnitudinem non a sano differebat. In alio casu contra, ubi cutis naturalem colorem servaverat, hepar solito majus reperiebatur diaphragmati junctum strato lymphae coagulabilis, abscessus largus hemina plenus materiae purulentae, parva bilis admixta quantitate, in parte superiore convexa lobi dextri.

Cura quae optima reperta est a chirurgis Anglis egregie quadrat cum curandi ratione a ZIERMANNO in Sicilia adhibita (1). Venae sectio unciarum 30—40 (2), purgantia, calomel v. c. cum jalappa, alia. Unica plerumque venae sectio copiosa sufficiebat et revera unica methodus morbi quasi jugulandi [*of cutting short the disease*]. Venae sectio egregie motum peristalticum intestinorum e virium oppressione primo torpentium restituit, itaque optime effectum purgantium juvat, etiam ventriculus vim muscularem novam acquirit, saepe sub ipsa venae sectione vomitus locum habet.

Ophthalmiae. Neque minus, quam in Sicilia, in hacce insula varii endemii sunt oculorum morbi. Eaedem sunt causae quae huic malo praebuerunt occasio-

(1) Cf. diss. pag. 186 sqq.

(2) In quibusdam casibus unciae 52 missae sine syncope.

nem, nempe aestus, lux vehemens, rupibus et inprimis aedibus dealbatis repercussa, atmosphaera pulvisculis gravis (de qua suo loco egimus), somnus sub divo. Potissimum bellica ista seu Aegyptiaca, communis est. Per totum annum hac laborantes inveniuntur aegri, frequentius tamen grassatur ad finem aestatis per totum autumnum, in quod tempus vulgo incidit etiam illud, quo maturescunt granatorum fructus. Nulla insulae pars ab hoc malo remanet libera, alia tamen prae aliis ei magis exponitur, sic v. c. pagus *Zeitun* notabilem continet coecorum numerum, et major pars praeterea musicorum coecorum, in plateis et viis urbis *La Valette*, in hoc vico nati reperiuntur. Anno 1823 nullus e nonaginta discipulis a morbo liber mansit, uti magister Pater LUIGE ipsi auctori testatus est. Causae quae homines huic malo reddunt obnoxios sunt perspiratio cutis suppressa, plethora. Multi praeterea hoc malo afficiuntur post plumbeos venti *Scirocco* (1) flatus. Menses September et October plurimos habent aegros, ut melius expressit tabula sequens, quam ab auctore mutuamus:

---

(1) Anno 1834 a 21—28 Sept. in Nosocomio recepti sunt 8 ophthalmia laborantes, ventus Zephyrus in hac hebdomade praevaluit, sequenti vero *Scirocco* fuit continuus dirissimus, major quam intra multos annos passi fuerant. Tum vero numerus receptorum erat 20.

MENSES.	ANNI.								SUMMA.
	1816	1817	1818	1819	1820	1821	1822	1823	
Januarius . .	25	14	5	9	3	8	48	11	123
Februarius. .	17	5	15	11	3	6	21	8	86
Martius. . . .	41	13	17	3	4	2	29	5	114
Aprilis. . . .	28	18	34	3	5	10	35	12	145
Maius	34	5	15	6	2	30	26	11	129
Junius. . . .	19	1	14	0	5	11	20	17	87
Julius.	19	3	6	4	2	8	18	23	83
Augustus. . .	19	8	3	3	12	26	28	10	109
September . .	21	10	8	1	34	31	28	51	184
October . . .	17	21	20	2	16	28	27	31	162
November . .	21	7	9	2	7	31	30	28	135
December . .	7	9	12	4	9	25	17	21	104
Summa. . . .	268	114	158	48	102	216	327	228	1461
Numerus milit.	4009	2864	2480	1628	1516	1615	1998	1842	

Praeter ophthalmiam istam Aegyptiacam, qua ceteri oculorum morbi absorbentur quasi, lippitudo frequens affectio est.

Morbos viscerum abdominalium frequentes observari jam vidimus de febribus agentes. Inprimis hepar vexatur, vera autem hepatitis rarius occurrit.

Diarrhoea et *dysenteria* inter incolas crebrius occurrunt. Hisce morbis omnium defunctorum ferme septima pars perire solet. Grassantur praesertim aestate. Diarrhoea est mucosa, quae in regionibus calidioribus vulgaris perspirationem cutis impeditam causam habet.

Morbus verminosus admodum frequens est, praesertim taenia solium vulgaris. Morbum illum hisce temporibus multo frequentiorem repetunt incolae a frumento non amplius e Sicilia, sed potius ex Aegypto et *Odessa* allato. Difficile dictu est, quanti momenti sit haec observatio, utrum fortuitum quid simul incidat, an revera haec sit causa. Doct. HENNEN rem non ulterius explicat.

Vidimus, in Sicilia et apud incolas et apud peregrinos, *hernias* saepe inveniri. Hac in re egregie cum Malta convenit, namque chirurgus amicus Doct°. HENNEN retulit, tertiam circiter partem ex illis, quorum cura sibi mandata fuerat, una alterave herniarum specie laborare. Doct. ZIERMANN numerum majorem etiam affert, statuens nullum ferme incolam prorsus hoc malo liberum reperiri.

Calculus vesicae passim hîc invenitur, alio tamen loco praeter alium frequentius, uti v. c. in vico *Birchircara*, in valle *Missida*. Forsan in aquis talia loca irrigantibus causa quaerenda est; huc usque vero in hisce nil peculiare detectum.

Inter morbos infantum, e nervosorum genere frequentiores sunt. Convulsiones quotannis satis notabilem stragem edunt.

Affectiones pulmonum. Vulgaris est opinio phthisicis coelum Europae australis benignum esse, sensimque invaluit mos, praesertim apud Anglos, quorum tot quotannis morbis pulmonum pereunt, ut totius defunctorum numeri quintam faciant partem, hunc illumve Europae australis locum adeundi. Prae ceteris salubritatis fama celebria sunt, *Nismes*, *Hieres*, *Marseille*, *Montpellier*, *Nizza*, *Genoa*, *Pisa*, *Fiorenza*, *Roma*, *Napoli*, insulae *Madera*, *Malta*, olim etiam *Mallorca* et *Menorca*. In posterum egregia nobis erit occasio cum de primo loco memoratis acturi simus, in hoc inquirendi, utrum experientia hujus sententiae veritatem confirmaverit, nec ne; nunc tantum indagabimus, quibus rationibus insula *Malta* valetudini conveniat et quibus noceat.

In coeli descriptione pag. 201 sqq. vidimus aëris atmosphaerici constitutionem, nisi flante vento *Scirocco*, calidam esse atque siccam, stimulus igitur vehemens est ad mucosam tenuem, qua bronchorum ramuli obvestiuntur. Vidimus etiam pulvisculos tenuissimos tam ingenti copia in aëre libere volitare, ut humiditate, pluvia minutiori praecipitati solum et vegetabilia fusca tegant cuticula. Respiratione hi vias subtilissimas aëreas intrant, stimuloque suo alieno variis affectionibus pulmonum quasi ansam praebent. Ob duplicem causam igitur aëris temperiem insulae *Malta* jure pulmonibus inimicum dicimus. Confirmant praeterea hanc sententiam tabulae quas suo operi adjunxit Doct. HENNEN; ex his enim apparet, indigenas et ditiores et pauperiores crebro omnigenis morbis

pectoris vexari, advenasque milites, febribus exceptis, nullo alio frequentius morbo corripi. Rarissime contra phthisis inter milites indigenas observatur, quippe qui robusti, et vegeta sanitate, summa cura eliguntur, et eorum militia nec dura nec difficilis est, qualis Anglorum in militia solet esse labor.

Longaevitas. Notum est, in regionibus calidis homines senectutem provectam raro attingere, attamen ab historico ABELA nonnulla notantur exempla senum 80, 90, 100, 105, 107, 110 et duo 120 annorum.

Ex morbis epidemicis pestis saepe insulam invasit. Anni 1519 prima in annalibus occurrit annotatio, alia annorum 1593, 1623, 1663, 1675, at dubium est, an semper vera fuerit pestis: quandoquidem anno 1623 quadraginta, et 1663 viginti tantum occubuere; dum gravissima epidemia anni 1675 rapuit 11,300. Inde ab illo anno usque ad 1813 nulla pestis memoratur. Est tamen probabile, insulam et Africae et Orienti tam propinquam, non per tot annos liberam mansisse ab hoc malo in illis regionibus communi; tantum ex eo intelligi potest, nullam hoc temporis spatio magnam hominum stragem fecisse. Quae anno 1813 insulam occupavit, verisimiliter ex Alexandria fuit allata, a mense Aprili ad Novembrem 4486 letho dedit.

Insulae vicinae *Gozzo*, *Comino*, *Cominetto*, vix a *Malta* sensu medico differunt, et praeterea ob exiguitatem facile praetermittuntur. Dicunt incolas insulae *Gozzo* generatim longaeviores esse, quam Melitenses. In causa est coelum magis temperatum et amoenum.

Haec de *Malta* et insulis vicinis sufficiant.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Opusculo typis mandato, nonnulla, ex aliis scriptoribus hausta, falsa ac erronea reperi, aliaque nova, quae me hucusque latuere, inveni. Haec ad calcem ordine disponamus:

Pag. 1 et 2. Auctorum catalogo qui de Hispania egere adjungendus:

G. BOWLES, Introduzione alla storia naturale ed alla geografia fisica di Spagna. 2 Vol. 4° Parma, 1783 (quem librum non vidi).

Pag. 22. De febribus catarrhalibus in provincia *Leon* obviis cf.:

MARCEL HORTET, Histoire des fièvres catarrhales qui regnent à *Planoles* dans le *Val de Ribas* en Espagne. *Sedillot*, *Recueil périodique de la Société de Médecine de Paris. T.* 27. 3. 17 (quem diarium frustra in variis bibliothecis tam publicis quam privatis quaesivi).

Pag. 24 in nota. Auctoribus de colica Madritensi adde:

..... DE PLACE, Aperçu sur la colique de Madrid et de ses environs. *Sedillot. l. l. T.* 36. *p.* 3.

Pag. 40. Catalogo thermarum regionis *Arragon* adde: *Panticosa.* Thermae salinae (1).

---

(1) Cf. Memoria del establecimiento de aguas minerales y termales di Panticosa en el alto Arragon. Madrid, 1832. (Prae-

Pag. 47. » Plures in agro *Arratiensi* seu *Merindado*" potius legendum: *plures in Merindado di Arratia.* Non enim ager Arratiensis vocatur *Merindado*, sed eo nomine appellatur pars quaedam regionis seu provinciae. Sic v. c. regio *Navarra* in quinque *Merindados* (quasi comitatus) dividitur (1).

Pag. 91. De aquis medicatis provinciae *Andalucia* cf.: JUAN DE DIOS AYUDA (AGUDA?), Examen de las aguas medicinales de mas nombre que hayan lás Andalucias. Madrid, 1832. (*Ergänzungsblätter u. s. w. l. l.* Ipse librum non vidi).

Pag. 119. Notae adde:

A. CLEMENS, Allgemeine Betrachtungen über die klimatischen Einflüsse und Versuch einer allgemeinen Characteristik der Gebirgsgegenden und ihrer Bewohner. Frankfurt a. M. 1820. Etiam sub titulo: Anthropologische Fragmente von A. CLEMENS. 1es Bchen.

Pag. 127. Auctorum catalogo qui de Corsica egere adde:

Observations sur la Corse par le Baron BEAUMONT, Sous-Préfet de l'Arrondissement de Calvi. Paris, 1822 (quem librum nondum accepi).

Pag. 131. Auctorum catalogo qui de Sardinia egere adde:

D. A. AZUNI, Histoire géographique, politique et naturelle de la Sardaigne. II. Tom. Paris, an X. (1802) 8°.

---

ter accuratam descriptionem harum thermarum varias continet observationes de reliquis aquis medicatis hujus regionis, vide *Ergänzungsblätter zur allgemeinen Literatur-Zeitung. Nov. 1836. n° 303. p. 824.* Ipse librum non vidi).

(1) DE LA BORDE l. l. II. c. 79.

Pag. 151. r. 12. sqq. Alterum hoc est, quod invenimus geophagiae in Europa australi exemplum.

Casu quodam prius deficit exemplum; postquam nempe Hispaniae caput eo usque elaboraveram ut typis mandari posset reperi in illa regione usum terrae cujusdam ad vescendum satis vulgarem esse. Quod antequam typographo opus committerem, contextui inserere quum vellem, ipso illo tempore collectanea de Sardinia in ordinem redigens, scripsi quae supra laudavi. Interim Sardiniae loco quaeque sequuntur absolutis, nuper de Hispanorum victu inventa addere prorsus oblitus sum; prelis moventibus sero demum in speciminibus errorem animadverti, cui nunc mederi constitui.

Pimento, quo in Hispania omnes fere cibos et fercula condiunt, secundum observationem Doct[i] BORY DE ST. VINCENT terra ochracea admiscetur, quae nomine *Almagro* prope *Almazaron* in regione *Murcia* invenitur indeque in majorem Hispaniae partem exportatur. Prostat apud mercatores in minutissimum pulverem resoluta, quem in condimentis indunt; magnam praesertim copiam addunt farciminibus, quae vocant *Morsillas* et *Schorissas*, quaeque in *Estremadura* venduntur. Varia insueti pravae digestionis incommoda ex illorum usu patiuntur (1). Analogâ terrâ saepe in Hispania succolata adulteratur. Utuntur interdum etiam testis vasorum fictilium (*Bucaros*) in quibus aqua refrigeratur. Prae ceteris harum avidiores feminae frustula minora saepe secum portant, quorum odore inprimis et sapore delectantur.

---

(1) Cf. Not. a. d. Geb. d. Nat. u. Heilkunde von v. Froriep n°. 1073. p. 272.

Pauca quae de geophagia mihi innotuere hic adjiciam:

In provinciae *Georgia* parte, *Richmond* dicta, in America Septentrionali, ex observatione Doct[i] COTTING multi reperiuntur geophagi (*Dirteaters*). Utuntur illi argila levi, unguinosa, quae optima reperitur prope viam inter *Augusta* et *Savannah* (1).

Qui ripas fluminis *Orenocque* colunt, certo anni tempore sola ferme materia vescuntur argillacea, uti testatur A. VON HUMBOLDT (2).

In Lapponia annonae tempore utuntur materia quadam, *Bergmehl* dicta, uti ex observationibus RETZII cum Doct[o] ARAGO communicavit A. VON HUMBOLDT (3) (mense Martio 1837).

In collegio *Académie des Sciences*, quo ARAGO litteras HUMBOLDTII praelegit, BIOT retulit ex auctoritate eorum, qui in regno Sinensi religionem Christianam propagare student, analogae materiae usum ibi admodum vulgarem esse. Testatus est MATTHIEU A° 1834, incolas provinciae *Kiang-si*, jam tribus annis abhinc, terra quadam vesci alba, levi, quam in montibus reperiunt. Publice haec venalis est, neque ita vili pretio venditur, ut omnes illam sibi comparare possint. Observavit praeterea BIOT, in Encyclopaedia Japonica, ubi montes *Tschirniem* descri-

---

(1) Revue Brittannique Juin 1837 p. 583 ed. Brux. ex diario: *Southern medical and surgical journal* quem non vidi. Et: Algemeene Konst- en Letterbode 1838, no. 1. p. 15.

(2) JULIA DE FONTENELLE, Mineralogie p. 32. (Nota anonymi cujusdam, qui locum in nota superiore laudatum ex anglico in gallicum sermonem vertit.)

(3) Intelligenzblatt der allgemeinen Literatur-Zeitung. Mai 1837, p. 270 et nota anonymi supra laudati.

buntur, saepius de hac materia sermonem esse, et quidem iisdem fere verbis, quibus de sua terra fabulantur Lappones (1).

In Nova Zeelandia in eundem usum adhibent materiam viridem, unguinosam, quae in rupibus invenitur.

Pag. 152. not. 1. *Porcus Trojanus.* Ejusdem sententiae est J. G. MILLINGEN (2) M. D. qui ferculum istum asa foetida conditum putat.

Pag. 172. reg. 21 sq. »De syphilide agentes plura hac de re (morum depravatione) dabimus [exempla]." Consilio mutato suo loco haec non inveniuntur, utpote quae faceta quamvis, nimis obscoena reperiebantur.

Ultimo loco monendum me variis locis, nescio quo casu fortuito, non apposuisse quod opus non viderim; paucis illa hîc indicabo:

Pag. 4 Not. 1. A. V. HUMBOLDT, cet.
» » » 2. H. F. LINK, cet.
» 5 Opera quae not. 1. citantur.
» 13—17, 34. Varia quae de aquis medicatis Hispaniae cit. DE LA BORDE.
» 21 Not. 1. BOURGOING, cet.
» 30 » 2. AMBROSIO DE MORALES, cet.
» 39 » 1. HYACINTHUS ANDREAS, cet.
» 40 » 1. de morbis endemiis Augustae, cet.
» 50 » 1. DON C. CASAL, cet.
» 55 » 1. MONSET, cet. GESTONI, cet.

---

(1) Intelligenzblatt u. s. w. l. l.

(2) Curiosities of medical experience, London 1837; quem librum non vidi, sed ejus epitomen in diario *Morgenblatt für gebildete Stände. N°. 79. April. 1837, p. 339.*

Pag. 56 Not. 1. Annales des sciences d'observation et Lancette française.

» 56 » 1. CHOMEL, cet.

» 99 » 1. HENDY, cet.

» 100 » 3. MONRO, cet.

» 101 » 2. Journal de Médecine.

» 146 » 2. FORCELLINI, cet.

» 163 » 1. Fauna etrusca.

» 208 » 1. ROB. FRORIEP et LORINSER, cet.

ERRATA.

Pag.	3	lin.	15	campus	*lege* campum
»	7	»	16	diluvialibus	» secundariis
»	14	»	20	*Cevicu*	» *Cevica*
»	15	»	17	*Puerto Lano*	» *Puerto Llano*
»	»	in nota	2	lin. 2 *Banos*	» *Baños*
»	25	lin.	1	ugit	» fugit
»	35	»	2	Arax	» *Arax*
»	36	in nota	1	lin. 1 e ripuere	» eripuere
»	37	lin.	17	derit,	» derit;
»	»	»	»	attingat	» attingit
»	40	»	8	*Benosque*	» *Benasque*
»	»	»	13	*Xilvea*	» *Xiloca*
»	»	»	15	*Barranos*	» *Barranco*
»	»	»	»	*Calatyud*	» *Calatayud*
»	43	»	25	*Sacá*	» *Jaca*
»	46	»	3	post : virentibus	*pone* ;

Pag.	46	in nota	1	lin.	1	fore	*lege*	forsan
»	»	»	»	»	»	» climatolagiae	»	climatologiae
»	47	lin.	18	*Merendado*			»	*Merindado*
»	48	»	10	*Asacca*			»	*Atacca*
»	»	»	15	maceri			»	macri
»	50	»	4	indagendis			»	indagandis
»	51	»	3	5			»	3
»	55	»	27	exculcerantem			»	exulcerantem
»	60	»	19	tus,			»	tur;
»	63	»	22	*Compestella*			»	*Compostella*
»	64	»	8	ditione *Riverenci*			»	agro *Riverensi.*
»	»	»	23	*Piodra*			»	*Piedra*
»	»	»	29	*Gallegi*			»	*Gallegos*
»	»	»	3	-tis			»	-ti
»	86	»	10	*Futana*			»	*Tutana*
»	92	»	3	*Antiquera*			»	*Antequera*
»	»	»	11	*Nirbla*			»	*Niebla*
»	»	»	15	-phurosae ad			»	-phurosac. Ad
»	114	in tabulae columna quae inscribitur: ANNI COMPLETI					1816	»	18,16
							1725	»	17,25
							1884	»	18,84
							1834	»	18,34
»	119	lin.	15	frequentiores;			»	frequentiores,
»	128	»	10	e			»	de
»	132	»	15	*Monastor*			»	*Monastir*
»	133	»	9	*Trasca*			»	*Frasco*
»	138	»	6	*Fodrungianus*			»	*Fordungianus*
»	»	»	9	*Aequa.... Villacedro*			»	*Acqua.... Villacidro*
»	140	»	15	mutata			»	mutato
»	143	nota	1	lin.	20	ter	»	terve
»	144	lin.	11	*Oristana*			»	*Oristano*
»	171	»	10	*Enna*			»	Enna
»	172	»	22	post: dabimus			*adde:*	exempla
»	173	not.	2	lin.	1	post: l. l.	»	p. 29 sq.
»	»	»	»	»	2	155	*lege*	115
»	185	lin.	27	post: synochum			*adde*	illam

Cetera facillime ipse corrigat B. L.

THESES.

I.

Febris tropica indolis est inflammatoriae. Ziermann.

II.

Pestis est hujus febris summus gradus cum affectione systematis lymphatici. Z.

III.

Febris autem flava ejusdem febris tropicae summus gradus est cum affectione systematis biliosi. Z.

IV.

Utraque vero et pestis et febris flava in organismo humano ita evolvuntur ut contagiosi fiant. Z.

V.

In morbis contagiosis, contagium numerum tantum aegrotantium auget, non vero morbi vehementiam. Z.

VI.

Quae quotannis Romae grassantur febres intermittentes, non nascuntur ex miasmaticis paludum Pomptinorum exhalationibus. Valentin.

VII.

In curanda hydrophobia remedia Agyrtarum non rejicienda.

VIII.

In curanda hydrophobia per immersionem in aquam marinam, subita nervorum concussio potius quam vis aquae medicatrix sanationem efficit. Van Zwieten.

IX.

Causa cur medici antiquiores saepius perfectas crises observarint, in eo praesertim quaerenda, quod nullis fere medicamentis morbi decursum turbaverint.

X.

Glandula thymus duplici in organismo humano fungitur munere, est enim receptaculum sanguinis post primam inspirationem pulmonum circulationi destinati, dum praeterea in eadem servatur illa materies, quae infantis in lucem emissi sceletum firmare debet. Owen.

XI.

Perperam gymnastica a recentioribus magis quam a veteribus in educanda juventute negligitur.

XII.

Male arti natandi in patria v. c. parum operae datur, dum et ipsum exercitium et balneum frigidum sanitatem admodum promovet.

XIII.

Veteribus contra incognita ars cothurnis ferratis glaciem crispandi in exercitiis numeranda est sanitati summopere noxiis.

XIV.

Cum in patria, praeter balnea marina, fontibus soteriis et thermis caremus, horum absentia, quantum fieri potest, aquarum medicatarum artificialium usu compensanda est.

XV.

Vis nociva, subvenenata, mellis in iis regionibus parati ubi certae quaedam plantarum species abundant, oritur ex diverso nectare in floribus harum plantarum secreto.

XVI.

Lemna arrhiza *auctorum* species est constans, peculiaris; ad quodnam vero genus optime referatur ignotum est.

XVII.

Aër atmosphaericus tellurem circumdans majori olim acidi carbonici copia saturatus erat.

XVIII.

Aërolithi qui vocantur extra telluris atmosphaeram gignuntur.

XIX.

Naturae vis creatrix aeterna est et infinita, rerum vero creatarum forma instabilis et finibus terminata, quarum ut alia genera ex rerum natura abiisse videmus, sic alia hucusque incognita edit alma parens nec edere cessabit.